INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# E L E M E N T A
# AD FONTIUM EDITIONES
# LII

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO AD POLONIAM SPECTANTIA
## XXII PARS

**Ostpr. Fol., vol. 42, 43, 48, 49, 1529-1531**

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1981

# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
# VIA VIRGINIO ORSINI 19 - ROMA

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani.* (Ed. chirotypica, exhausta).

ANTEMURALE, I-XXIV, Romae, 1954-1980

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae.* Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565), Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424), 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).

III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787), 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.

IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603), 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.

V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana.* Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682), 4 tab., 1962.

VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629), 8 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.

VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* II pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676), 11 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., 1962.

VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791), 7 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., 1963.

IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae,* I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572), 8 tab., Ind. nom. propr., 1964.

X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* III pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS, pp. XVI+343, 1399 doc. (A.D. 1568-1676), 12 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., 1964.

XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* II pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. VIII+287, 214 doc. (A.D. 1567-1579), 7 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., 1964.

XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* III pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., 1964.

XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici,* I pars. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab., Ind. nom. propr., 1965.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# E L E M E N T A
# AD FONTIUM EDITIONES
# LII

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
## AD POLONIAM SPECTANTIA
## XXII PARS

Ostpr. Fol., vol. 42, 43, 48, 49, 1529-1531

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

R O M A E 1 9 8 1

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA VIRGINIO ORSINI, 19 - ROMA

# INDEX RERUM


| | | |
|---|---|---|
| Introductio | Pag. | VII |
| Abbreviationes | » | IX |
| Textus | » | 3 |
| Elenchus epistolarum | » | 263 |
| Index nominum et locorum | » | 273 |

# INTRODUCTIO

*Volumen LII* Elementorum ad Fontium Editiones, *quod nunc publici iuris facimus, est directa continuatio voluminis praecedentis, quo nimirum haec nova editionum nostrarum «Pruthenicarum» series inchoabatur. Quam ob rem supervacaneum duximus hic ea repetere, quae in illius voluminis Introductione iam paulo fusius enuntiavimus.*

*Complectitur hoc novum volumen nostrum nonnisi trium annorum spatium (1529, 1530, 1531), multo tamen plures epistolas continet quam praecedens (418, dum volumine praecedenti 258 documenta publicata sunt), quae ad varii gradus, dignitatis, conditionis personas a duce Alberto in Poloniam et Lithuaniam mittebantur. Itaque ad regem Poloniae Sigismundum conscriptae epistolae exstant 64, ad reginam Bonam 9. Maximum tamen litterarum numerum accepit Christophorus Szydłowiecki (70), quocum dux Albertus «fraternitatis» foedus iniit et quem saepissime in epistolis suis amicum et fratrem alloquitur, cui etiam maximi momenti negotia sua apud regem et alibi promovenda et expedienda commendat. Ad Petrum Tomicki, episcopum Cracoviensem et Regni vicecancellarium, 15 tantum datae sunt epistolae.*

*Ex proceribus ecclesiasticis nominandus est quoque Ioannes Chojeński, primum archidiaconus Cracoviensis, deinde episcopus Premisliensis, in gerendis cancellariae Regni rebus operam suam praestans, cui tribus illis annis 20 epistolae a duce in Prussia pervenerunt. Ex dominis saecularibus, tam Polonis quam Lithuanis, praeter Christophorum Szydłowiecki, Albertus Gasztołd, Magni Ducatus Lithuaniae cancellarius, 20 accepit epistolas, alii vero, sicut Ioannes Baliński, Adrianus Gołyński, Lucas et Andreas a Górka, Nicolaus Szydłowiecki, Ioannes Tarnowski, Andreas et Ioannes Tęczyński etc., minore earum numero dignati sunt.*

*Separatim commemorandus est, quoad acceptarum epistolarum numerum, Nicolaus Nibschitz, fidelis «factor» ducis Alberti, qui negotia eius tam in aula regia quam aliis in locis obeunda curabat, ad quem 27 epistolae, omnes germanice conscriptae, missae erant.*

*Sunt etiam litterae ad cives datae, ex quibus Iostus Ludovicus Decius, rei monetariae eximius peritus, primum procul dubio obtinet locum (14 epistolae). Cum eo enim dux Albertus non solum de negotiis monetariis tractabat, sed per eum quoque varias merces, ad mensam suam et aulam necessarias, sibi suppeditari faciebat.*

*Ut ex supra dictis videri potest, haec seriei nostrae Regiomontanae pars maxima distinguitur varietate personarum, ad quas epistolae dabantur. Quae quidem varietas inde sequitur, quod dum in sectione* HBA *epistolae in Regium Montem missae et allatae secundum auctorum gradum, dignitatem vel conditionem in Archivo dispositae et depositae erant, eodem quoque ordine in editionibus nostris publicatae sunt*

(B1 *epistolae regum,* B2 *procerum,* B3 *civium etc.*), *in copiariis vero* (Ostpr. Fol.) *nonnisi linguae, qua scriptae erant, distinctio facta est.*

*Quod reliquum est, hoc quoque loco, sicut iam prius fecimus, collegae nostro Luciano Olech, pro opera in hoc parando volumine praestita, renovatas gratias agere cupimus.*

C.L.

## ABBREVIATIONES

| | |
|---|---|
| El. | Elementa ad Fontium Editiones |
| M.D.L. | Magnus Ducatus Lithuaniae |
| R.P. | Regnum Poloniae |

# TEXTUS

# 1529

*N. 259.*

*E Regio Monte, 6.I.1529*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Baliński, castellano Gedanensi,*
*pro Paulo Baumgart, subdito suo innocente, a Senatu Braunsbergensi de crimine homicidii accusato, intercedit, ut ei sine mora iustitia administretur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 350-351.*

Pro Paulo Baumgart insimulato homicidii per Senatum Braunsbergensem.

Accusatus est superioribus diebus praesentium lator, subditus noster, Paulus Braumgart[z], a Senatu Braunsbergensi de crimine homicidii multaque et rerum et corporis sui damna ex hac[a] Braunsbergensi accusatione passus est, quod iam per[z] cum uxore et liberis ad extremam usque paupertatem redactus sit. Cum autem nuper ex alio, qui homicidium tale perpetravit et poenas grassatoris ultimo supplicio accepit, innocentia sua nota facta est, citavit praefatus[b] subditus noster propter iniuriam et damna passa Consules et Proconsules Braunsbergenses ad tribunal Reverendi Episcopi Warmiensis[1], ubi sententia suo iudicio iniusta contra eum lata est. De qua, ut graviter laesus, ad Serenissimum Poloniae Regem etc. appellavit. Impetravit autem nunc a Serenissima Regia Maiestate iustificationem huiusmodi appellationis fieri per Magnificentiam Vestram et caeteros Maiestatis Suae Regiae consiliarios, sicut Magnificentia Vestra ex regia commissione intelliget, quam subditus noster Magnificentiae Vestrae praesentabit. Quare rogamus Magnificentiam Vestram, velit eandem regiam commissionem acceptare eandemque caeteris collegis et delegatis significare, subditoque nostro vigore commissionis litteras inhibitionis, ne ulterius in hac caussa procedatur, ad tribunal Episcopi Warmiensis seu ad Magnum Vocatum Ecclesiae Warmiensis dare; acta caussae a iudice, a quo appellatum est, postulare; at super eisdem actis nomine Sacrae Regiae Maiestatis cognoscere, ius et sententiam dicere, an Braunsbergensibus licuit hominem hunc innocentem literis suis tanto crimine absque culpa accusare et an ne subditus noster iure, ut innocens, et famae et iacturae passae per Braunsbergenses restituatur. Magnificentia Vestra velit nostro intuitu efficere, ut subdito nostro sine longa procrastinatione iusticia fiat. In quo facit Magnificentia Vestra rem iustam et nobis maxime

gratam. Cui rursum servire et morem gerere studebimus. Datum e Regio Monte 6 Ianuarii anno etc. XXIX.

*In margine superiori*: Ad Ioannem Balintzky, 6 Ianuarii.

a) *in ms.* hoc
b) *in ms.* praefectus
z) *sic in ms.*
1) *Mauritius Ferber.*

*N. 260.*

*E Regio Monte, 10.I.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio et zuppario Cracoviensi,*
*pro litteris et quietantia gratias agit; excusationem eius ob tardius suppeditatam pecuniam accepit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 39-41.*

An Severin Baner den 10 Januarii.

Unsern gunstigen grus und genedigen willen zuvor.

Erbar und ernvhester, lieber, besonder.

Ewer schreyben, des datis stehet den XIII Decembris vorschines jors, haben wir sampt der zugeschickten quittancien entpfangen und horen lesen etc. und thun uns erstlich ewers dienstlichen willens gegen uns sampt aller muhe und vleis genediglichen bedancken. Verner haben wir ewer entschuldingung, wie es etwas beschwerlich und vast lang mit dem ubermachten gelde zugangen und sich verzogen angehort. Und ist nicht on, wie wir aus ergangner handlung vernhomen, so hot es sich etzlicher massen lenger, dann unser notdorft woll hett erforderth, damit vorzogen. Aber wie dem allem, dieweil es sich dermassen zugetragen, sein wir ewer entschuldigung woll zufrieden. Und ist an euch unser genedigs begeren, ir wollet euch mit dem aufwechsel solcher gestalt, wie unser vorig schreyben mitpringt, halten. Euch und all den ewern will genedigs willens zu erzaigen seint wir nit ungeneigt. Datum Konigspergk ut supra.

*In initio scripti in margine:* Severin Paner.

*N. 261.*

*E Regio Monte, 11.I.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro novis missis et pro diligentia in promovendis rebus suis gratias agit; de bona valetudine sua, uxoris et filiolae nuntiat; de quadam molestia castellano Cracoviensi a capitaneo Samogitiae allata dolet.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 354-355.*

Agit gratias pro fraterna opera et studio in exequendis rerum suarum negotiis.

Illustris et Magnifice Frater nobis charissime.

Accepimus Illustritatis Vestrae litteras una cum novitatibus, quas Illustris Dominatio Vestra nobis transmisit fecitque Illustris Vestra

Dominatio nobis in hoc rem haud vulgariter gratam; vidimus quoque tum in scribendi sedulitate, tum etiam officiis vestris, quibus res nostrae diligenter promoventur, amicum illum et fraternum erga nos animum indies magis ac magis augeri. Agimus itaque primum Illustri Dominationi Vestrae propter nova nobiscum communicata deque diligentia, quam Illustris Dominatio Vestra nostro intuitu de pecunia adquirenda apud Severinum Paner[1] adhibuit, fraternas et quam maximas gratias. Et quoniam Illustris Dominatio Vestra scire percupit, quo in statu sint res nostrae, quomodo etiam et nos et coniux nostra charissima ac filiola[2] nostra valeant, nolumus ad hoc ipsum Illustrem Dominationem Vestram latere nos una cum coniuge et filiola nostra charissima Dei benignitate adhuc salvos et incolumes esse ac nobiscum bene agi. Pro quo beneficio debitas gratias Deo Optimo Maximo agere debemus.

Praeterea intelleximus Illustri Dominationi Vestrae nonnihil molestiae a Domino Capitaneo Samogithiae[3] accidisse, in quod et nobis non minorem animi dolorem adfert ac Illustri Dominationi Vestrae. Speramus tamen praedictum Dominum Capitaneum non adeo sui ipsius oblitum, ut quicquam praeter decorum agat, ut quicquam agat, quod talem virum non deceat. Rogamus nihilominus Illustrem Dominationem Vestram, nobis significet, num Dominus Capitaneus Samogithiae fidem his in rebus Illustri Dominationi Vestrae notis servaturus sit vel ne. In summa, quicunque Illustri Dominationi Vestrae adversatur, illum et contra nos agere putamus.

Res novas Illustri Dominationi Vestrae libenter ediverso misissemus, quid earum in praesentia habuissemus[a], verum consiliarii nostri iam a nobis in Germaniam ablegati sunt, quos varia inde nova secum adlaturos speramus. Quicquid earum rerum erit, faciemus Illustrem Dominationem Vestram propediem certiorem. Bene valeat Illustris Dominatio Vestra una cum uxore[4] et liberis. Ex Monte Regio, XI Ianuarii anno etc. XXIX.

*In margine superiori:* Ad Dominum Schiedlo[vitzky], XI Ianuarii.

a) *verbum correctum.*
1) *Boner.*
2) *Dorothea et Anna Sophia.*
3) *Stanislaus Kieżgajło.*
4) *Sophia a Targowisko.*

*N. 262.*

*E Regio Monte, 12.I.1529*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Baliński, castellano Gedanensi,*
*pro magistro Amando Hemmerling (vel Hemmerlein), consiliario suo, ut ei in extorquendis a debitoribus suis, quos Marienburgi habet, debitis consilio et auxilio adsit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 353-354.*

N. 263.

E Regio Monte, 12.I.1529

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Meck (in ms.* Megk), *advocato Caunensi,*
*pro duobus subditis suis, colluctationis et homicidii in publica via prope Caunam patrati accusatis, intercedit, ut e carcere liberi dimittantur, cum iuxta ipsorum confessionem propter legitimam defensionem suam eiusmodi facinus perpetraverint.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 35-36.*

N. 264.

E Regio Monte, 30.I.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*litteras regis in causa Stanislai Michnowicz se accepisse nuntiat et praefectis suis iam demandasse, ut eidem Michnowicz profugos eius restituerent.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 56.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 357.*

N. 265.

E Regio Monte, 30.I.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*cuidam iudici [Jeziorkowski? in ms.* Jcziurkompffsky]
*pro Iacobo Weiss intercedit, cui quidam Petrus Schurke irreparabile damnum intulit* («videlicet eidem manum violenter amputavit») *et nondum satisfecit, ut ei iustitia administretur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 356.*

N. 266.

E Regio Monte, 2.II.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*ad capitaneum Ducatus Masoviae et ad oppidum Janowe Miasto*
*pro subdito suo, nobili Friderico de Heydeck, cui controversia est de bonis Pawłoczyn (Pawłocin?) cum nobilibus Pawłoczyński (Pawłociński?), incolis Ducatus Masoviae, intercedit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 360-362.*

N. 267.

E Regio Monte, 3.II.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, rogat, ut apud fratrem suum Nicolaum, Regni thesaurarium, promoveat negotium mittendae sibi a rege debitae annuae pensionis; praeterea nuntiat capitaneum Samogitiae duxisse uxorem et regem Ioannem clades aliquod perpessum.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 351-352.*

De mittendis 4000 aureis Hungaricis pro annuo a Rege salario. S[alutatio]

Non latet Illustrem Magnificentiam Vestram Serenissimum Principem et Dominum Dominum Sigismundum Regem Poloniae, Dominum et avunculum nostrum clementissimum, ex concordia inter Regiam Suam Maiestatem et nos superioribus annis inita et facta 4000 aureos ungaricales nobis pro salario singulis annis ad festum Pascatis debere. Cum autem solutionis tempus haud ita longe absit creditoribusque nostris certam spem dederimus, nos eos illa ipsa pecunia ad terminum praedictum bona fide persoluituros[z)], scripsimus eam ob rem Domino Severino Baner, transmissis litteris, ut vocant, quitantiae, ac petimus, velit nostro nomine pecuniam istam a Magnifico Domino Nicolao, Thesaurario regio, Illustris Dominationis Vestrae fratre charissimo, quoniam tempus aderit exigere atque deinde eandem pro solutione et satisfactione transmittere hiis, quibus debemus, neque dubitamus illum nobis hac in re sua opera et diligentia defore. Rogamus itaque Illustrem Dominationem Vestram, eadem negotium hoc apud Magnificum Dominum Nicolaum, Thesaurarium et fratrem Illustris Dominationis Vestrae charissimum, promovere velit, ut et pecunia Domino Severino Baner nostro nomine numeretur, quo sic quod sub[a)] et honore nostro ducali polliciti sumus, iterum praestare possemus.

Nova non habemus, praeterquam quod certo nobis relatum est Dominum Capitaneum Samogithiae[1)] duxisse uxorem, quae res quam bene nobis placeat, scribere in praesentiarum non possumus. Verum Illustris Dominatio Vestra illud ipsum facile coniicere potest. Praeterea rumor est per mercatores ad nos illatus Serenissimum Regem Ioannem profligatum esse passim. Quod nisi ab Illustri Dominatione Vestra scriptum fuerit, credere non possumus. Quare amice et fraterne petimus, si quid certi ea de re Illustris Dominatio Vestra habet, nobis hoc ipsum quam primum scribat. Datum 3 Februarii anno etc. 29.

*In margine superiori:* Ad Dominum Schiedlovitzky, 3 Februarii.

a) *probabiliter verbum omissum.*
1) *Stanislaus Kieżgajło.*

N. 268.

*E Regio Monte, 4. II. 1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio et zuppario Cracoviensi,*
*de summa 4000 florenorum sibi a thesaurario Regni persolvenda, ad quam rem quietantiam mittit; ex ea summa 2100 fl. aurifici Norimbergensi, Wenck nomine, solvendi sunt, residuum vero (1900 fl.) ipsi (Severino Boner) ad persolvendum aes alienum ab eo contractum destinandum est.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 37-38v.*

N. 269.

*E Regio Monte, 7.II.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*rogat, ut gubernatori (recte: vicesgerenti) Masoviae regio nomine mandet, ut controversias inter Masovitas et subditos ducis intercedentes sine mora componat et finiat.*

*Ostp. Fol., vol. 48, ff. 352-353.*

S[alutatio]

Cum non raro accidat, ut inter finitimos et vicinos populos contentio et controversia varias ob causas suboriatur ac iudices vel negligentia vel alia quapiam ex re in ferendis sententiis caussas, non sine magno partium incommodo, protrahere soleant, rogamus eam ob rem vehementer, Illustris Magnificentia Vestra Capitaneo sive Gubernatori novo Ducatus Mazoviae[1], quem iam in Conventu Warschoviensi regii consiliarii post se relinquunt, nomine Sacrae Regiae Maiestatis severe committat et demandet, ut si quando inter dicti Ducatus Mazoviae incolas et nostros subditos[a] lites et controversiae emergere contingat, eas ipsas, auditis utrisque querelis et responsionibus, secundum aequitatem citra moram componat et finiat, utque de malefactoribus, qui ex praenominato Ducatu in nostram terram veniunt et maleficio hic perpetrato[b] sese iterum ad Mazoviam recipiunt, aut quovis alio indebito modo hinc istuc perfugiunt, ad nostram vel subditorum nostrorum requisitam iusticiam sine ullo impedimento et procrastinatione administret, ne ex hiis, quae per se satis mala existunt, longe[c] graviora damna eveniant, sed quo utrinque bona vicinitas observetur ac demum sumptus inutiles partium et expressas[d] contra nos praecidantur devitenturque. Et quod nos simili in casu facere et per nostros fieri procurabimus, Illustri autem Magnificentiae Vestrae obsequia prompta et fraterna quam diligentissime possumus exhibere semper studebimus. Datum 7 Februarii anno etc. XXIX.

*In margine superiori:* Ad Ch. Schied[lovitzky], 7 Februarii.

a) *sequitur expunctum:* et
b) *in ms.* perpetrat
c) *in ms.* longa
d) *error pro:* expensae?
1) *Felix Brzeski.*

*N. 270.*

*E Regio Monte, 12.II.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Baliński, castellano Gedanensi,*
*pro transmissis sibi Christophori Szydłowiecki litteris et pro novis de rege Ioanne sibi missis gratias agit; in re monetaria significat se Senatui Marienburgensi assensum suum daturum esse.*

*(Schedula adiuncta)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 359-360.*

Bene nos quidem cum Illustri consorte[1] nostra valemus. Utinam sic Magnificentia Vestra cum suis omnibus quam rectissime valeat. Qua pro invisendae salutis incolumitatis nostrae cura agimus Magnificentiae Vestrae magnam gratiam. Similiter quod offitium praestitit, utpote amici iucundissimi, mittendo ad nos litteras Illustris fratris nostri Domini Christofferi a Schiedlovitz etc. Nec minus nos nova delectant, quae Magnificentia Vestra de Rege Ioanne caeterisque ad nos diligenter perscripsit. Sed nequicquam habemus earum, quas vicissim redderemus. Quod si novae res nobis adferentur, non committemus, ut offitio et studio vincti dicamur. Intellexeramus et ante Magnificentiae Vestrae litteras de conventu Elbigensi, nec dubitamus earum rerum, si quando confectae fuerint, ab ipsis Dominis consiliariis terrarum Prussiae certiores futuros. Hinc non prodiit decretem nostrum de moneta, quod iam pridem formatum animus erat expromere, ubi conventu celebrato percepimus nihil dissimile Senatus consulto priori in Marienburgo habito actum. Facilis noster quoque adsensus erit, qui semper studuimus publicae rei commodum nostris anteferre. Bene valeat Magnificentia Vestra cum iucundissima coniuge[2] et liberis dulcibus. E Monte Regio, 12 Februarii anno etc. XXIX.

Cedula

Quam velit consultum rei publicae, quam etiam amet nos singulariter Vestra Magnificentia, parva inclusa papyrus ostendit. Utinam consilio in re tam periculosa possemus ita prodesse, ut certe animo in Rempublicam et amore in Magnificentiam Vestram respondebimus. At aliorum (quos Magnificentia Vestra Egiptiorum more signavit) studium diversum facit, ut blandiantur nunc nobis, demum consilia nostra, quae vel ab initio hac in re minime animadvertentes dedimus, illi morantur nunc et Senatus consulta ipsa, qui ab initio nostra consilia adspernabantur. Displicet quidem, vellemus enim Prussiae consultum, utcunque interim cederet res et illorum et nostro peculio. Sed forte, quod nostrum iuditium est, reperierunt illi, qui patientur se ab eis Regi sibique normam praescribi, qua vivant. Quod nisi prudentia atque consiliis maturis malum hoc oppugnabitur, timemus sero Phriges sapientes fore. Haec vicissim in aurem scribere voluimus. Bene valeat Magnificentia Vestra. Datum ut supra.

*In margine superiori* Ad Ioannem Balintzky, 12 Februari.

1) *Dorothea.* 2) *Sophia de Targowisko.*

*N. 271.*

*E Regio Monte, 14.II.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Chmielnicensi [Preslao Lanckoroński]*
*litteras eius de proposito transeundi in servitia regis Ferdinandi se accepisse nuntiat et addit se opera eius nunc non indigere.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol., 43, ff. 36-37.*

*N. 272.*

*E Regio Monte, 15.II.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*ad litteras eius, quas accepit, nunc longius non respondet, quia familiarem suum ad eum mittere decrevit; pro novis gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., 48, f. 358.*

*N. 273.*

*E Regio Monte, 24.II.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Samogitiae [Stanislao Kieżgajło]*
*Loannem Betzell, famulum suum, in causa quadam se ad eum conferentem, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 357-358.*

*N. 274.*

*E Regio Monte, 4.III.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*mandatum imperiale contra se emissum mittit et quaerit, quid sibi hac in re faciundum sit, sine regis consilio quidquam facere nolenti.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 134.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 363.*

S[alutatio]

Scripsit nobis superioribus diebus Magnificentia Vestra, an nobis constaret de mandato, quod Caesar[1] contra nos emiserit. Ad quod quum respondebamus nihil nobis de huismodi mandato constare, sicut nec[a]

eo tempore quicquam ad nos perlatum erat, accepimus autem nunc ante paucos dies praesentis mandati exemplar impressum a quodam amico, qui nobis id transmisit, quod et Magnificentiae Vestrae transmittendum duximus et praesentibus inclusum transmittimus. Magnificentia Vestra velit tale mandatum perlegere ac, quid in hac re nobis faciundum sit, cogitare nobisque consilium suum fraternum communicare. Nihil enim in ea re ac aliis nostris arduis caussis sine Serenissimi Regis, Domini et avunculi nostri clementissimi, ac Magnificentiae Vestrae consilio tractabimus et facturi, sed minime conclusuri sumus, non dubitantes Regiam Maiestatem ac Magnificentiam Vestram se in hoc erga nos, tanquam Dominum patrem ac fratrem nostrum clementissimum ac charissimum, pro nostra in Regiam Maiestatem et Magnificentiam Vestram observantia pie ac benevole exhibituros ac non gravari nos in hac caussa mentis suae participes facere. Id volumus erga Magnificentiam Vestram omni quo possumus studio rependere. Et cupimus Magnificentiam Vestram bene valere. Datum e Regiomonte, 4 Martii anno etc. 29.

*In margine superiori:* Ad Dominum Schiedlo[vitzky].

a) *supra lineam.*
1) *Carolus V.*

*N. 275.*

*E Regio Monte, 8.III.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*causam Nicolai Racke, civis Toruniensis, commendat, quem adversarii sui ex bonis suis, a consanguineo suo Matthia Theschner per legitimum contractum emptis, detrudere conantur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 364.*

*N. 276.*

*E Regio Monte, 9.III.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, Maioris Poloniae capitaneo generali,*
*Valentinum Wissner et Clementem Redt, aulicos suos, quos in certis negotiis suis in Germaniam mittit, commendat, ne eis, si opus fuerit, auxilium deneget.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 39.*

An Lucas von Korka starusten zw Posenn und obirsten heuptman in Grossen. Polen den 9 Martii.
Unsern gunstigen grus und gnedigen willen zuvor.
Wolgeborner, edler, besonder, lieber freundt.
Wir haben gegenwertige unsere hoffdiener und liebe getrewen Val-

tin Wissner und Clement Redt in ethlichen unsern abligenden gescheften von uns in Teutsche Landt abgefertigt. Demnach ist an euch unser gutliche bith und gnedigs begeren, wo es sich begeben wurdt, das sie euch umb furderung ansprechen wurden, ir wollet inen dieselbige von unsertwegen, wie wir uns des zu euch versehen, nit abschlagen, sonder dieselbe[a] gutwillig mitteilen und widerfaren lassen. Das wollen wir umb euch widerumb gutwillig beschulden und in sondern gnaden erkennen. Datum Konigspergk ut supra.

a) *verbum correctum.*

*N. 277.*

*E Regio Monte, 6.IV.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, sententiam suam de mandato caesareo contra se edito non dissimilem esse a Christophori Szydłowiecki consilio asserit; significat misisse se legatos suos ad regem et ad proceres ac civitates Ducatus sui, consilium de auxilio contra Turcam petituros; nuntiat praeterea de consiliario suo ad Dietam Spirensem in negotio Opoliensi marchionis Georgii et in causa mandati caesarei misso; desiderat, ut rex Poloniae legatos in eadem causa ad regem Ferdinandum mittat.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 134.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 365-368.*

Illustris et Magnifice Frater Charissime.

Litteras Illustris Magnificentiae Vestrae cum Iacobo de Dyebenn, camerario nostro et fideli nobis dilecto, ad nos missas accepimus. In quibus Illustris Magnificentia Vestra primum ea narrat, quae ultra nunctii nostri commissa per litteras Illustri Magnificentiae Vestrae significavimus, agitque maiores nobis gratias, quod nostra negotia Illustri Magnificentiae Vestrae tam confidenter communicaverimus, quam opus fuisset. Certo sibi persuadeat Illustris Magnificentia Vestra, quod eidem semel scripserimus et polliciti sumus, id ipsum nos omni diligentia et fidelitate servaturos. Nam nihil magis nobis in votis est, quam ut liceat nobis semel amorem nostrum fraternum erga Illustrem Magnificentiam Vestram effectu et re ipsa testari. Quod si unquam contingeret, satis liquido tum intelligeret illam non minus a nobis quam fratrem nostrum carnalem amari, pro cuius etiam salute exigente necessitate totis viribus non solum cum subditis omnibus, sed et corpore et sanguine auxilium praestare cupimus et volumus.

Scribit dein Illustris Magnificentia Vestra se libenter vidisse, ut nostram sententiam de mandato caesareo contra nos edito eidem prius patefecissemus. Et illum, cuius res agitur, melius altero consilium suum adhibere posse, utque non adeo durum esse (quamvis non contemnendum), quod mandatum in se contineat, ut ideo nobis plus aequo et tam vehementer non sit formidandum. Quibus in rebus et nostrum consilium haud ita multum abest ab eo ipso, quod Illustris Magnificentia Vestra nobis indicavit. Speramus itaque rem non tam gravem et periculosam, ut quidam[a] forsitan esse cupiant. Verum cum ad rem

venerit, id facturi sumus, quod bonum fidumque Principem addecet, nec unquam rebus et necessitati tam Illustris Magnificentiae Vestrae, quam Regni Poloniae deerimus. Quod vicissim ab Illustri Magnificentia Vestra totoque Regno Poloniae nobis futurum non dubitamus.

Misimus etiam legatos nostros in hac aliisque rebus ad Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum nostrum clementissimum, qui[b] Suae Regiae Maiestatis consilium nostro nomine de auxilio contra Turcam petere debeant. Misimus et alios nostros consiliarios ad Praelatos, Comites, Barones totamque nobilitatem et civitates Ducatus nostri pro rogando et explorando eorum consilio contra Turcam. Sine enim scitu, consilio et voluntate Regiae Maiestatis hac in re nihil facere conabimur, praesertim cum inter Regiam Maiestatem Suam et Turcam indutiae[c] ad aliquot annos factae et erectae sint. Rogamus eam ob rem Illustrem Magnificentiam Vestram, apud Regiam Maiestatem instare velit, quo Sua Maiestas unum ex consiliariis suis etiam in dicta caussa ad fratrem etc. pro assistentia mittere dignetur, qui una cum nostro ibidem indagare[d] studeat, si quid contra Regiam Suam Maiestatem practicetur.

Praeterea Illustrem Magnificentiam Vestram scire volumus, nos iam unum ex consiliariis nostris ad Illustrem Principem Dominum Georgium Marchionem Brandenburgensem, fratrem nostrum charissimum, in caussa sua Oplensi ad Dietam Spyrae constitutam tanquam assistentem misisse. Cui simul in commissis dedimus, ut de mandato caesareo contra nos edito deque aliis rebus, si quae contra nos machinentur, diligenti scrutatione exploretur, atque consilium Dominorum nostrorum et amicorum petat, quid nobis ratione huius mandati cum tempore sit faciundum. Quicquid ille nobis in responsis asportaverit, id Illustri Magnificentiae Vestrae non celabimus.

Et quoniam commisimus nunctiis nostris, ut inter alia apud Regiam Maiestatem Poloniae concordiae inter eandem Regiam Maiestatem et nos ante paucis annis factae mentionem faciant petantque, ut Sua Maiestas dignaretur in hoc negotio ad Regem Ferdinandum mittere legatos rogatum, ut Sua Maiestas apud Caesaream Maiestatem, fratrem suum, huiusmodi antedictae concordiae ac status nostri commutationis inter Regnum Poloniae et nos consensum et voluntatem ipsius Caesaris impetret. Id quod iam respectu nostrorum temporum ac casuum quotidie contingentium facile fieri posse arbitramur. Quod ipsum non tam ex nostro capite quam ex nostrorum Dominorum et amicorum consilio suximus.

Quod Illustri Magnificentiae Vestrae antehac, uti recepimus, rationem vel modum auxilii terrarum Austriae Regi Ferdinando exhibendum non misimus, id labili nostrae memoriae Illustris Magnificentia Vestra adscribere velit. Mittimus autem nunc cum praesentium exhibitore. Agimus etiam gratias maximas Illustri Magnificentiae Vestrae de novitatibus[e] nobis communicatis. Si quid novi nobis advenerit, id Illustri Magnificentiae Vestrae vicissim significari curabimus. Quam foelicissime cum tota sua familia valere semper exoptamus. Datum e Konispergio, 6 Aprilis anno etc. XXIX.
*In margine superiori:* Ad Ch. Schied[lovitzky], 6 Aprilis.

a) *in ms.* quidd
b) *in ms.* quae
c) *in ms.* inditiae
d) *in ms.* indagere
e) *in ms. bis scriptum.*

*N. 278.*

*E Regio Monte, 19.IV.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Baliński, castellano Gedanensi,*
*ad litteras eius intercessorias pro quodam nobili Martino Kociszewski (Kościszewski? in ms.* Cocziessevsky), *ut quaedam bona in districtu Riesenburgensi, ab episcopo Pomesaniae ei vendita, possidere possit, respondet se id concedere non posse, quia episcopus ad vendenda ea nullum ius habuit.*

*(Schedula: de causa quadam famuli sui Nicolai Lawen).*

*(Latine)*

*(Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 368-369.*

*N. 279.*

*E Regio Monte, 28.IV.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de teloneo Kuckerneese iam prorsus abrogato nuntiat et timet, ne cives Vilnenses, qui ab eo exonerari cupiunt, sub eo vetus teloneum in Labiau intelligant; pro Georgio Ludicke, cive Regiomontano, cui Caunae(?) ob non solutum nimis magnum teloneum ligna retenta sunt.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 370-373.*

De vectigali Cucurnensi et Labiensi.

Dein pro Georgio Ludick.

Serenissime Clementissimeque Rex.

Opto Regiae Vestrae Maiestati salutem et foelicitatem. Litteras, quas mihi cives Vilnenses in negotio suo obtulerunt, accepi cum ea, qua decuit, reverentia. In quibus Regia Vestra Maiestas sic loquitur: Subditi nostri de civitate Wilnensi hoc vere[a] navigaturi sunt in Prussiae regionem cum mercibus suis. Petieruntque a nobis, ut eos literis nostris Vestrae Illustritati commendatos faceremus, ne ab eis veteris telonei auctionem exigeret[z] in Cucurnense permittat. Quod ut Vestra Illustritas facere velit, rogamus et hortamur. Animadverto in hac[b] narratione, quod cives illi non sunt veriti Regiae Vestrae Maiestati petitione falsa imponere et mihi aliquo modo iniuria officere, quasi aliquid exigam a praeternavigantibus Cucurnesam, quum vectigal illud prorsus sit abrogatum ita, ut ne obolus quidem per meos expetatur a navibus onerariis, dum praetervolant. Sed videntur mihi cives illi novi quid moliri, ut sub nomine Cucurnesae teloneum Labiense respiciant. Qui si illorum conatus fuerit, in tempore coercendi[c] sunt ab iniuria a Regia

Vestra Maiestate, quandoquidem telonium in Labiaw observatur tale iuxta veterem consuetudinem longo tempore usitatam. Est autem institutum a maioribus nostris ex communi consensu et iusta censura utriusque partis pro conservanda illic structura, fossis, aquae ductu, repagulis et mole pro temperandis aquis obiicienda. Quorum custodienda integritas non exiguos sumptus requirit. Caeterum illud nolo, Regiam Vestram Maiestatem lateat, quod mercatores cum suis mercibus illic praeterlabentes inventis novis technis et artibus multum subtrahunt teloneo. Nam pelles praetiosiores martium, ictidum similiumque bestiolarum pellibus nobilium per suos famulos atque procuratores furtim subducunt falsis inspectatoribus. Quod tam non raro expertus sum detecta fraude. Pari calliditate[d] utuntur in tela, caera reliquisque mercimoniis in grave detrimentum telonii illius. Quod mihi nequaquam ferendum est diutius. Rogo itaque enixe, Regia Vestra Maiestas dignetur procurare, ut admoneantur, quo deinceps a coepta fraude desistant.

Praeterea[e] subditus quidam meus, civis Regiomontanus Georgius Ludick, conqueritur de gravi iniuria anno superiori illata sibi apud Coviavienses, siquidem duo sexagenaria lignorum ipsi inpediuntur Cavaviae[1] per teloneos[z] suspensione, quod pro centenario ipsi lignorum recusavit XV grossos expendere telonio[f], cum pro tali numero debeantur dumtaxat in vectigali tres. Qua nova exactione vectigalis gravi incommodo afficitur miser Georgius, post se relictis suis lignis, quae destinarat alio transvehere. Quapropter rogo suppliciter, Regia Vestra Maiestas dignetur talium hominum audatiam ex avaritia natam compescere, duplici enim nomine peccatur, tum quod violant ius publicum studio pecuniae, tum quod negotiatores et miseros exhauriant, unde nihil amplius pendetur Regiae Vestrae Maiestati. Quam opto Dominus Deus dignetur quam diutissime nobis incolumem conservare. Datum 28[g] Aprilis anno etc. 29.

*In margine superiori:* Ad Regem Poloniae, 28 Aprilis.

a) *in ms.* vero
b) *in mas.* hoc
c) *in ms.* coertendi
d) *in ms.* calliditati
e) *in ms.* praetere
f) *in ms.* teolonio
g) *sequitur expunctum:* Martii
z) *sic in ms.*
1) *Caunae?*

*N. 280.*

*E Regio Monte, 13.V.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Samogitiae [Stanislao Kieżgajło]*
*pro Paulo Milisch, ut ligna eius, in silva Georgenburgensi caesa, et cineres ab arresto regio liberentur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 373-374.*

*N. 281.*

*E Regio Monte, 14.V.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*de oblata sibi ab eo amicitia et nuntiis suis, Quirino Schlick et Friderico Fischer, exhibita benevolentia gaudet; negotium Pauli Milisch commendat, ut ligna sua, quae in silva Georgenburgensi magno impendio cecidit, et cineres ibi iacentes inde avehere possit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 375-377.*

Primum initae amicitiae foedus promittit.
Dein pro Paulo Milisch intercedit.
Pleno ore nuntii nostri Quirinus Schlick Comes etc. et Fridericus Fischer, Iuris Utriusque Doctor, Cancellarius noster, Magnificentiae Vestrae summam exosculandamque in nos benevolentiam ebuccinarunt, quam scilicet percupiat illa in amicorum nostrorum albo inscribi, quam depereat nos, quam studeat inservire et commodare nobis nostrisque, quam etiam vellet a nobis vicissim redamari, et quod argumentis non solum, sed et officiis, imo humanitate quadam admirabili praestiterit se Magnificentia Vestra amicum nostrum, sic suscipiendo, sic tractando, sic muneribus onerando nunctios nostros. Addiderunt nec semel nec bis, sed frequentissime petitum a Magnificentia Vestra, ut eos, quos sacrum baptisma nomine, quos item fortuna ditionum vicinio coniunxisset Albertos, studerent ipsi amicitia sanctiore firmissimaque coniungere. Nos, ut fatemur illorum diligentiam in narranda ea Magnificentiae Vestrae humanitate, ita vicissim apud nos ipsos controvertimus, praebuimus-ne unquam spetiem aliquam officii, quo tantam nobis conciliassemus benevolentiam, tandem quum nihil nobis conscii simus, occurrit, quod boni a bonis vel ultro amentur, et a puro non nisi pura defluit aqua. Quare gaudemus nobis plurimum auctos nos tanto amico eoque nostri nominis Alberto, quia nominis paritate mentium quoque et voluntatis concordiam foeliciter ominamur. Promittimus itaque amicitiam et ea omnia, quae a veris amicis expectari solent. Neque minus erimus in conservanda ea vigiles et studiosi, quam in acquirenda Magnificentia Vestra egregiam navavit operam.

Proinde sanctae amicitiae legibus gaudentes, quibus repulsae infamia arcetur, rogamus plurimum et ex animo pro Paulo Milisch, subdito et secretario nostro, ut Vestrae Magnificentiae opera, studio et autoritate, a quibus omnis Pauli nostri fortuna, foelicitas simul et casus pendent, prohibeatur quae imminet illi calamitas, si lignum et cineres, quae illi[z)] in sylva Georgenburgk cecidit paravitque, non liberabuntur a Domino Capitaneo Samogithiensi[1)], actum est de illius fortuna. Audimus Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, mentem, quod voluit, ut non nisi cautione praestita aveherentur ligna. Sed quid si haud iure (quod tamen minime speramus) locavit Dominus Capitaneus? Ideo uxor, liberi, fortunae et res omnes subditi nostri peribunt. Poterit multo commodius Samogithiae Dominum, scilicet locatorem ipsum, Serenissima Regia Maiestas compellere, cuius permissu et auctoritate caesa sunt ligna, ne innocentia et fides, quae tanto viro debebatur, poenam sentiant, quae nocentes et violentes alioqui manet.

Neque enim clam, neque vi, neque iniuria usus sylvae usus fructu Paulus noster, sed Domini Capitanei auctoritate. Quam autem grave sit Paulo, subdito nostro, in ius vocare Dominum Samogithiae et, ut aiunt, contra fluminis tractum navigare, facilis est coniectura. Quare denuo rogamus, sic intercedat apud Regiam Maiestatem Magnificentia Vestra, ut, quod aequum arbitramur, non exuatur fortunis suis subditus noster ob alienam culpam, si modo de iure Domini Samogithiensis non constiterit, de quo etsi non dubitemus, anxios tamen nos reddit pro subditis nostris debita sollicitudo. Spem autem maximam et pene securitatem adfert et amicitia nostra nova et Magnificentiae Vestrae in nos nunc perspecta benevolentia, quam utinam sic demereamur, ut volumus, volumus autem quam optime et maxime. Bene valeat Magnificentia Vestra. Cui nos amico vicinoque nostro commendamus. Datum etc. 14 Maii 1529.

*In margine superiori:* Ad Dominum Gastoldt, 14 Maii.

z) *sic in ms.*
1) *Stanislaus Kieżgajło.*

*N. 282.*

*E Regio Monte, 14.V.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*pro Paulo Milisch, secretario suo, intercedit, ut merces eius, a capitaneo Samogitiae sine iure retentae, liberentur eique restituantur.*
*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 40-41.*

An Nickel Nipschitz den 14 May.

Lieber, getrewer.

Nochdem unserm secretario und lieben, getrewen Paul Milisch sein holzs und aschen, welchs er dis jar lauts einer vorschreibung, so yme auf unser vorbith der starust von Saymaitten[1] uber den Jeorgenwalt gegeben, von koniglicher macht arrestirt und angehalten worden, aus ursachen, die euch dann unvorborgen, nun haben wir vor diser zeit dem hochgelerten unsern canzler, rath und lieben getrewen doctor Friderichen Vischer, neben undern unsern gescheften aufgelegt und bevholen, bey koniglicher und auch derselben maiestaten gemahel, unserm gnedigen hern und gnedigen frawen, dorneben dem bischove[2], auch dem woywoden zur Wilden[3] und andern orten, wo es vonnoten, zu handeln und vleis vorzuwenden, domit unser diener des schadens und beschwerung entladen und ime sein gut mocht gefreiet werden. Und hetten wol verhofft, unser demutig und vleissig bit unserm diner zuguthe solde in dem fhal meher angenohmen sein gewesen, in ansehung, das er in diser sachen nicht wider ko.mt. gethan, sunder meher auf die vorschreibung und vorsicherung des starusten in Samayten gehandelt, der in denn walt auf sechs jar lanck darinne

zu arbeiten, in geeigent und vorschriben hat, wie dann sein vorschreibung solchs weiter meldet. Wo nu in disem fhal etwas wider die ko. mt. gehandelt, solde von billigkeit dem starusten und nicht unserm diner die schult beygemessen, sunder ime meher sein guth ane entgeltnus freygegeben werden, nochdem er seinen geweresmann gestalt, welcher auch ko.mt. bas dann unser diner zum rechten ader zur straffe, wie er wider s.mt. gehandelt, nottigen khunde etc. Es hat auch obgedachter unser canzler den hern starusten jtzundt in seinem abschien geschrieben und jnen gelegenheith der sachen bericht, dorneben von unsertwegen gebeten, ime auf dem brife, so er ober Jeorgenburgk hat, den artickel, welcher Paul Milisch zugute und zu freiung seines guts dinen mag, schriftlich zu ubersenden ader ime sunst auf sein bit ein antwort zuzuschreiben, domit uns zu erlernnen, was weiter hirinne unserm secretarien zuguthe zu handeln sein mocht etc. Der starust hat aber den boten ane schriftlich antwort zihen lassen, sunder ime sagen lassen, er hat gut briff, er were der meinung, jzund auf die heiligen tage kenn der Wilde zu ziehen, do er dann das gut wol freihen wolde. Nu ist zu besorgen, er mocht die sachen also lassen hinschleifen und vorzihen, domit unser diner noch zu weiterm schaden mochte gefurt werden, denn wir dan, sovil uns moglich, gern vorhuten wolden. Ist derhalben an dich unser gutlich synnen und begern, du wollest mit dem starusten von unsertwegen dermassen hanndeln, das er sich also in die sache schicken wolde, domit vilgemelten unsern diner sein arrestirt gut ann weitern verzugk gefreiet wurdt, wie dann andere hern in Littawen dennjhenigen, so sie welde vorschreiben, ir gut auch gefreit haben, auf das er nicht alleine zu grossern schaden uber den, so er bereit zuvorn erlitten, gefurt wurde. Dann wir wusten sunst ynen in dem fhal auf sein weiter pit, als unsern getrawen und wolverdinntten underthan mit hulff und rath nicht zu verlassen. Was du auch hirinne bey ko.mt., der konigynne[4], woywoden und andern hern und unnsern freunden diser sachen zum besten wirken konst, du wollest keinen vleis ansparen. Das wollen wir in allen gnaden kegen dir zu erkennen unvorgessen sein. Datum Konigspergk ut supra.

1) *Stanislaus Kieżgajło.*
2) *Ioannes e ducibus Lithuaniae.*
3) *Albertus Gasztold.*
4) *Bona.*

*N. 283.*

*E Regio Monte, 18.V.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Laurentio Prażmowski (in ms.* Praschmowski), *palatino Masoviae, pro Theodorico de Schlieben, subdito et consiliario suo, ut ei iuxta mandatum regium ad hoc datum celerem iustitiam administret.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 377-378.*

*N. 284*

*Fischhausen, 5.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro Georgio marchione Brandenburgensi intercedit, cuius causa cancellarium suum, Fridericum Fischer, et Nicolaum Nibschitz ad regem mittit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 41v-42.*

An konigliche mt. zu Polann denn 5 Julii.
Gnediger her.
Das der hoichgeborn furst, unser freuntlicher lieber bruder, her Georg marggraf zu Brandenburg, in Preussen etc. hertzog etc., an E.K. Mt. thut schreiben und betlichen ansuchen, werden E.K.Mt. denselben seiner lieben schriften zu erlesen haben. Dieweil dan sein lieb derhalben solich schriften E.K.Mt. zu behenden und uns umb frontliche und bruderliche furderung an E.K. Mt., domit seiner bete volg geschehen moge, angesucht, welchs wir uns zu thun schuldig erkennen, so haben wir derhalb dem hoichgelarten unserm cantzler, rath und lieben getreuen doctor Friderich Vischer, und so der verreist, E.K.Mt. diener, dem von Nipschitz, solhe seiner lieb brief E.K.Mt. zu uberantwurten und wes des handels notturfft weiter erfordert, E.K.Mt. zu bitten und zu berichten geschrieben. Ist derhalben an E.K.Mt. unser gantz frontlich bitt, dieselben wollen in betrachtung der gerechtigkeit, sso unser bruder hat, auch der ungleicheit, so seiner lieb darinnen begegent, sich seiner lieb mit solichen schriften und andern, so an E.K.Mt. in furderung diser sachen gebeten, weill E.K.Mt. seiner lieb zuvor vast gleichens auch schriftliche verbeten wilferung erscheinen und ernanten unsern cantzler oder Nebschitz von unsernwegen zu diser sach gentzlichen glawben gewen und uns, das wir s.l. in teusch und nit latinisch schreiben, aus dem, das wir yetz in eyll keyn lateinischen schreiber bey uns haben, frontlich entschuldiget wissen. Das sein heichgedachter unser bruder und wir uber schuldig, pflichtig, frontlich zu verdienen erbittig etc. Datum Vischawsen ut supra.

*N. 285.*

*Fischhausen, 5.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*ut negotium fratris sui, marchionis Georgii, apud regem promoveat, rogat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 138.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 378.*

N. 286.

*Fischhausen, 5.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*rogat, ut negotium Georgii marchionis Brandenburgensis apud regem promoveat; idem petit a Ioanne Chojeński.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLVI, N. 21.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 42-42v.*

N. 287.

*Fischhausen, 9.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de meliore, post subitum morbum, regis valetudine gaudet; litteras donationis a se consorti suae factae confirmari expetit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 59.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 379.*

N. 288.

*Fischhausen, 9.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*de regis convalescentia gaudet; rogat, ut opera et studio suo litterae donationis a se uxori factae a rege confirmentur et anulo signatorio regio muniantur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 380-382.*

Studium, operam, benevolentiam denique Reverendae Dominationis Vestrae in nos et nostros plane exosculamur. Nam quum non soleamus vel plebeiorum[a] amores aspernari, qui tanti viri vultu, moribus, lingua, ingenio, eruditione, fortuna atque multarum rerum earumque maximarum experientia venerabilis et amabilis coniunctione non delectaremur? An qui multarum regionum, ne dicamus multorum hominum et quidem principum virorum amorem sibi devinxit, nostri unius benevolentiam sic demeritam non traheret? Solet virtus et ignotos nobis conciliare. At nec sane ignota est nobis Reverenda Dominatio Vestra, sic a Cancellario nostro[1] descripta, ut vel corporis totius liniamenta conspicere cominus putemus. Hanc itaque gratiam a superis praecamur, qua liceat olim animum nostrum in Reverendam Dominationem Vestram sic nobis deditam aperire.

Quod Serenissima Maiestas Regia convalescit, nobis, inclytissimo Regno Poloniae, terris et populis utriusque nostrum, Reipublicae de-

nique Christianae plurimum congratulamur. Rogamus autem Dignitatem Vestram Reverendam, ut deinceps eiusmodi casus nobis ipsa pro ea, qua in nos est, benevolentia significet maturius. Nam quantum nos doloris, pavoris et ferme stuporis ex subito hoc proximo nunctio perceperimus, nihil est quod scribamus. Inter [spem] et metum haerebamus, de statu optimi et clementissimi Regis nostri non admodum certi. Caeterum quando Sacra Maiestas Regia, Dominus noster clementissimus et avunculus charissimus, dignata est litteras donationis Illustri et Praeclarae consorti nostrae[2] a nobis a[z] factae clementer comprobare, quas huic nobili fideli nostro dilecto Foelici de Alden latina et alemanica linguis conscriptas, tradidimus Maiestati Regiae commonstrandas, plurimum [rogamus], Vestra Reverenda Dominatio operam suam in hac re impendat, ut utraeque confirmentur atque annulo signatorio regio muniantur. Eodem exemplo sunt, nihil est quod Reverenda Vestra Dominatio dubitet, poterit huius rei bonus esse testis Nicolaus a Nypschitz aut Maiestatis Reginalis[3] secretarius utramque linguam callens. Hoc quoque a Sacra Maiestate Regia nostro nomine petito, ut litteris confirmatoriis inserat, se quidem a nobis obsequiose et amice ob id rogatam (nobis vita functis) supremum fore Illustris consortis tutorem daturamque tunc Maiestatem Suam charissimae consorti nostrae curatores idoneos et Illustritati illius gratos.

Nam cum non intelligat inclyta consors nostra latine, cogimur sic donatariam[b] beneficio nostro demulcere, ut intelligat ipsa, atque post obitum nostrum illi, qui donationem permissuri sunt, donationis nostrae vim et dulcedinem. Hoc quod nos et si nihil dubitemus de vestra in rebus nostris conficiundis diligentia et propensione animi maxima, tamen vel ultro currentem hortamur, monemus et rogamus. Cui nos vicissim ex animo bene volumus. Caetera Reverenda Dominatio Vestra ex Cancellario nostro intelligat. ...Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Kointzky 9 Julii.

a) *in ms.*: pleiorum
b) *sequitur expunctum*: benevoli
c) *in ms.* ultro
z) *sic in ms.*

1) *Fridericus Fischer.*
2) *Dorothea.*
3) *Bona.*

## *N. 289.*

*Fischhausen, 9.VII.1529.*

*Dorothea dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*ut donationis sibi a marito suo, duce Alberto, factae regiam confirmationem sibi procuret, petit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 382-383.*

Ob impensam in gratiam nostram operam habemus Reverendae Dominationi Vestrae magnam gratiam. Neque enim latere nos possunt Dominationis Vestrae Reverendae virtutes, simul et benevolentia et animus vester in nos, Cancellario nostro ebuccinatore. Imo re ipsa

loquente ducimur omnes admirabili quodam amore hominum et virtute et eruditione praeditorum. At maiori multo, ubi et illorum operam et amorem sentimus. Nimirum vel natura ita comparante, ut amari omnes et beneficiis affici quam odiri et iniuriari gestiamus. Concepta itaque hac spe, Reverendae Dominationis Vestrae vigilias, oleum et lucernam aliquando et nobis usui, ornamento et utilitati fore, audacter occupatissimae alioqui Dominationi Vestrae desideriis et negotiis nostris obstrepimus et rogamus, inducat Dominatio Vestra Reverenda Sacram Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum et parentis vice honorandissimum atque amatissimum, ut dignetur et ministrae suae hanc facere gratiam, si ea fuerit Dei voluntas, nos Illustrissimum Principem, Dominum nostrum et consortem, vita superare, quem ex animo cupimus nostri funeris spectatorem, Sacra Regia Maiestas nobis tunc omni consolatione et humana spe orbatae supremum ex regia pietate praestet curatorem aliosque nobis constituat et largiatur, qui a nobis tunc probabuntur, et ut haec gratia regiis litteris confirmatoriis, quibus Regia Maiestas donationem Illustrissimi et charissimi Domini et consortis nostri comprobare dignabitur, inferatur. Nos pro ea Reverendae Dominationis Vestrae benevolentia, opera et sollicitudine multum illi debere fatebimur. Quam bene foeliciterque valere exoptamus. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ioanni Coinsky 9 Iulii Principis Dorotheae nomine.

*N. 290.*

*Fischhausen, 13.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de negotio* « *advitalitatis* » *uxoris suae* [*Dorotheae*] *eum a cancellario ducis* [*Friderico Fischer*] *edoctum iri nuntiat; nova sibi mitti petit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 41v.*

*N. 291.*

*Fischhausen, 14.VII.1529.*

*Dorothea dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*Gregorium Meck laudat et commendat, ut* « praefecturam seu advocatiam, ut vocant, splendidissimae civitatis Vilnensis » *obtinere possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 386-387.*

N. 292.

Fischhausen, 14.VII.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*de negotio limitum, quod ei cum capitaneo Samogitiae intercedit, de quo a Nicolao Nibschitz clarius edocebitur; eundem Nibschitz laudat et commendat.*

*(Schedula adiuncta)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 384-386.*

De Capitaneo Samogithiae.

Grata fuere nobis ea, quae per Nunctium et Cancellarium[1] nostrum exponi fecit Magnificentia Vestra Inclyta. Et quoniam amicitiam nostram satis firmatam esse [....] et voluntate putamus, nunc etiam re et officiis eandem quam firmissimam reddere studeamus. Hac ex parte declararemus animum nostrum multo libentissime, si occasio offerretur demerendi Magnificentiam Vestram sic nobis propensam, amicam et benignam. Et futurum speramus, ut olim cum faenore reddamus, quod apud nos depositum est. Cum Magnifico Samogitiae Capitaneo[2] nobis negotium intercedit limitum, quod inter illius parentem et nos ita usque ad usque ad[z] sententiae pronunctiationem suspensum est, ne scilicet utraque pars reditus et pensiones tollat, sed sequestro inferat. Nec quidem filius et Dominus Samogitiae patris factum improbavit, nisi quod pensiones aut, ut vocant, census ad illum contra pacti praescriptum redeunt. Quare plurimum et peramice rogamus, Magnificentia Vestra pacis amans sic Dominum Samogitiae inducat, ne patris pacta re ipsa saltem offendat. Alioqui nos iuri nostro ita aderimus, ut vigilantibus nobis merito ius subveniat. Pacta servanda esse omnium hominum vox clamitat. Poterit auctoritate sua Magnificentia Vestra, quae vel apud Maiestatem Regiam maxima est, facile apud hunc iuvenem virum Dominum Samogithiae, nobis percharum, rem eo ducere, ut concordiae nostrae nuper initae bona et leta, non ominosa auspicia fiant.

Rem totam Magnificentia Vestra a Nicolao Nipschitz, Consiliario nobis dilecto, clarius accipiet. Cui et omnia negotia nostra cum apud Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum et avunculum charissimum, tum etiam apud Magnificentiam Vestram et caeteros vel Regni Poloniae vel Magni Ducatus Lithuaniae proceres, nobis agenda iam pridem commisimus, utpote quo utimur in secretioribus maximisque caussis nostris et fratrum nostrorum Illustrissimorum. Cuius et perspectam habemus integritatem et solertiam ita uno in homine coniunctam, ut nos plurimum oblectet hominis dudum nobis coniunctissimi ingenium. Quare rogamus, ut quem amat sinceriter, illum ipsum Nicolaum nostrum nunc vehementius amet atque nostra negotia, quae per illum Magnificentiae Vestrae significabimus, pro amicitiae nostrae sanctis legibus diligenter promoveat. Nos vicissim officiis, benevolentia atque opera nostra respondere tantae animi Magnificentiae Vestrae promptitudini non negligemus atque hoc Magnificentiam Vestram experiri volumus. Quam divina clementia cum inclyta uxore[3] et liberis

diutissime servet incolumem. Bene valeat eadem, cui nos amabili amico nostro commendamus. 14 Iulii 1529.

*In margine superiori:* Domino Gastoldt, XIIII Iulii.

Schedula.

Cognovimus seniorem Meck, advocatum in Cawenn, vita functum aliumque in demortui locum suffectum advocatum, quam nostra sentencia Gregorius Meck filius, nobis dilectus, cuius etiam opera subinde utimur, bene merebatur. Sed quoniam regia sententia hoc mutatum est, rogamus plurimum, Magnificentia Vestra eo enitatur, ut advocatum Wilnensem obtineat ille, ne duabus sellis, quod aiunt, sedeat bonus vir et ad gerendas res non inutilis, quem et ob id charum percepimus Magnificentiae Vestrae. Faciet[a] hac in re populo, ut audimus, rem gratam, dignam etiam vestra autoritate et favore, quem in illum gerit, nobis certe gratissimam multo, quam et beneficii loco reponimus. Bene valeat Magnificentia Vestra. Datum ut supra.

*Sub textu:* Simili modo ut scedula habet ad Dominum Episcopum Wilnensem[4].

a) *in ms.* Favet
z) *sic in ms.*
1) *Fridericus Fischer*
2) *Stanislaus Kieżgajło.*
3) *Sophia Wierejska.*
4) *Ioannes e ducibus Lithuaniae.*

*N. 293.*

*Fischhausen, 22.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*pro Andrea Masalski, veterano milite, intercedit, ut emeritae militiae suae digna praemia in senectute obtineat; Ioannem Feierabendt (Feyerabent) commendat, ut eum in servitorum suorum numerum et tutelam suam suscipiat.*
*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 388-389.*

*N. 294.*

*Fischhausen, 23.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*arma, ornatum militarem et vestes pro septem Tartaris, sibi ab Alberto Gasztołd dono datis, mitti petit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 42v-43.*

Unser gnedigs begern ist an dich, du wollest auf sieben Tattern restung von pogen, pfeilen, gabeln, huethen, satteln, stiefeln, aber mit

der cleidungen auf das muester, wie der Tattern, den uns her Gastolt geschenckt, nemlich plahen kaffthan, gelent atlassen, theler mit plohen ermelen und weisem rauchwerck vorpremth, und sonst ander zugehorung ausserhalb pherden, sso zur tatterischen rustung von noiten, bestellen, zurichten lassen und uns uberschicken und doneben anzaigen, wes soliche rustung allenthalben gestehet. Wollen wir dir das geldt unseumblich ubermachen und erlegen lassen. Daran thust du uns zu gefallen. Datum Vischausen ut supra.

*N. 295.*

*E Regio Monte*), 26.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de Gedanensibus, mandato regio de re monetaria edito, non obtemperantibus et de magnis damnis subditis suis inde manaturis.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 43-44.*

Wir haben dir nehermals durch unsern cantzler[1] schreiben lossen der newen muntz halben, wie derselbig durch ein offentlich getruckt mandat in unserm furstenthum genomen zu werden von uns gebotten. Darob wir dan aus befelich ko.mt. zu halten gedencken, das in unserm furstenthum dowider nit gehandelt werde. Aber wes dieneben[z] von ko. mt. unterthanen und sonderlich von denen von Dantzigk gehandelt, welcher gestalt sye und andere sich wider seiner mt. befelich setzen, sonderlich in dem, das sye seiner mt. mandat der new geschlagene muntz, auch der alten halben, ausgangen nit halten, werden wir teglichs bericht und du hastu es zum teil auss beyligender unsers frondts, des von Helspergs[2], schrift mit A bezeichent zu ersehen, wiewoll in dem schein, als hetten sie dannocht ires sperrens fug. Nochdem die ko.mt. inen und andern stedten zu muntzen nit vorgonnen wollen und diweil die von Dantzigk in aussgebung und eynnemung der alten und newen muntz sich dem mandat nicht gemess, sonder ires gefallens den alten prauch und vorige gewonheit der muntz halten, wurde solch ungleicheit uns und unsern unterthanen, die wir alle ko.mt. gehorsams und geschehen befelichs zu leben gedencken, zu mercklichem vorterb gereichen, dafor dan sie zu vorhueten unsere undterthanen uns teglich anlauffen, wie wir dan hewtigs tags ein schrift von unserm frondt, dem von Risenberg[3], clagweis entpfangen, wie du dich inligendts zu ersehen mit B bezeichent.

Demnach ist an dich unser genedigs begern, ko.mt., unserm allergnedigsten hern, von unsertwegen solichs alles anzuzeigen, auch unterdenigen und frontlichen zu bieten, das sein mt. ein gnedigs und gepurlichs einsehen haben wolle, domit die gleicheit allenthalben in Preussen und sonderlich von denen von Tantzigk mit der muntz laut des mandats gehalten werdt, domit wir die unsern von vorderblichen nachteil verhutten werden. Den wir vorhoffen uns seyn ko.mt. je nit gern gonnen wurde.

Zum andern weistu dich woll zu erinnern, welcher gestalt wir vormals ko.mt. zum oftermal dargeben worden vom andern teyl in Preussen, als solten wir derjenig sein, der seiner mt. muntz vorhindern thet. Nuhe es aber jo lenger und mehr an tag kompt, wer diese vorhinderung gethon, so ist abermals an dich unser gnedigs bogeren, ko.mt., wie oben vormelt, diejenigen anzuzeygen, daran der mangel jtzo augenscheinlich und unlaugbar erfunden wurdt; der dann an uns nye gewesen ist. Welchs uns doch bey ko.mt. zu grosser unbillikeit und in ruck alwegen aufgelegt worden. Dann was wir jderweylen gegen den stenden in Preussen furgewandt, des einwechsels halben, und das wir besorcht, man kont in so einer cleinen zeit in diesen landen genug muntzen, ist ko.mt. muntz einer vorbetrachtung und gemeinem nutz bederseits zum besten geschehen und aber uns bey ko.mt. anders aussgelegt worden. So doch die von Tantzigk, dieweil nichts anders gethon, dann mit golt und auswechslung der gutten preussischen muntz iren vorteil, eigennutz und gemeiner landt schaden, und so sie dasselbig fast vollendet, seind sie die ersten, so ko.mt. muntz sich beschweren und dem ausgangen mandat widerstreben thun.

Dis wollest alles mit gutem fug und uf das trewlichst von unserwegen ko.mt. anzeigen und dieselben bieten, sich in dem allen als der genedig herr gegen uns und unsern furstenthum erzeigen, domit je in abloes seyner mt. mandat und in demselben die gleicheit gehalten werdt. Das wellen wir umb ko.mt. in aller unterdenigkeit freuntlichen gern vordienen und gegen deiner person in allen gnaden erkennen. Datum Konigsperg*) ut supra.

z) *sic in ms.*
1) *Fridericus Fischer.*
2) *Mauritius Ferber ep. Varmiensis.*
3) *Erhardus Queis, ep. Pomesaniensis.*
*) *sic in ms., cfr. NN. praecedentem et sequentem.*

*N. 296.*

*Fischhausen, 26.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de negotio Georgii marchionis Brandenburgensis ita apud regem promovendo, ut iura eius ad Ducatum Opoliensem (post obitum futurum ducis Ianussii) confirmari possint; rogat, ut de possibili belli periculo regem moneat.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 46v-47v.*

An Nickel Niptitzsch denn 26 Julii.

Dein schreiben, des datum helt Sonnabennts nach Margarethe dis jtzigen jars, belangend des hochgebornen fursten, unsers freuntlichen, lieben bruders, herren Georgenn marggrafen zu Branndenburg etc., handlung etc., haben wir neben zuschickung ko.mt. an uns und yetzgenanten unsern brudern, desgleichen copien des schreibens an den hertzogen von Opell[1] aussgangen, sampt andern inhalt empfangen und vorlesen lassen. Thun uns solcher gehabter muhe und vleis gegen dir

gantz gnediglichen bedancken. Lassen uns auch ko.mt. etc. schreiben an den von Opell sampt der vorenderung etlicher wort wolgefallen.

Und dweyl wir dann aus deinem schreiben vormerckt, das konig Ferdinandus ehren Sigmunden von Hernnstain zu ko.mt. mit etlichen gewerben abgefertigt, so ist an dich unser gnedigs begeren, du wollest mit allem trewem vleis bei derselben ko.mt. anregung thun, das dieselb sich aus koniglichen gnaden und der sachen, wie wir vorhoffen, zum besten nit wolten beschweren lassen, derselbigen Hernnstein vast auf diese maynung, wie zum teyl sein ko.mt. dem von Opeln geschrieben, anzureden, und das sein ko.mt. bericht, wie etlicher massen wider alte donation, privilegien, aufgerichte vortrege, bewilligung und zulassung konig Wladislaen[2] und konig Ludowige[3], bede in Got vorstorben, seiner ko.mt. bruders, vetters und plutsvorwandte, in sachen unsern brudern, marggraff Georgen, berurende, gehandelt. Welchs sein ko.mt. ye nit gern hörten. Wolten sich auch zu konig Ferdinanden vorsehen, er wurde ya dis koniglich einsehen haben, damit seiner ko.mt. vettern, freunden und vorfaren donation[a], alte privilegien, aufgerichte vortrege, bewilligung und zulassung nit geschwecht, sonder mehr confirmirt und gehandthabt werden mochten. Daneben auch genediglichen betrachten, wes getrewer, gehorsamer dienst das häuss Brandenburgk nit allein den kunigreichen Hungern und Behem, dessgleichen dem hauss Osterreich, sonder auch ko.mt. und dem Heylgen Romischen Reich mit darstreckung mercklichs uncostens, darzu auch ferligkait leibs, guts und pluts gelaist und williglichen gethan und also unserm freuntlichen, lieben bruder, marggraff Jorgenn etc., bey demjhenigen, so bede obgemelte seiner ko.mt. vetter und verwandte ime umb seiner villfeltigen getrewen dienst willen vorschrieben, nit allein pleiben lassen, sonder auch dabey schutzen, schirmen, handthaben und verteydigen, wie dann solhs ko.mt. zu Polann etc. als der hochvorstendig konig mit besserer mass und gestalt, dann wir anzaigen mogen, zu thun wissen.

So wir dann auch von andern, nit allein wie dein schreiben an uns gethan, mitpringen, bericht eingenommen, das der Turck ein treffenliche botschaft zu ko.mt. zu Polan gefertigt, sonder das auch bei derselben ein walachische, desgleichen muschkauische bothschaft sein soll, in willens in die Muschkaw zu ziehen, sehen wir unsern pflichten nach fur gut an, das du ko.mt. thettest anzaigen, das wir fur nodturftig achten, das dieselb gut aufsehen, nachforschung und kundtschaft darauf als der[b] alt und vorstendig hochberumbt konig geben, damit durch dieselbige nit ein feur, welchs Litthawenn, Masaw, Polann und andern seiner ko.mt. erblanden zu mercklicher beschwerung gereychen mocht, aufgeploesen werde etc. Doneben auch, sovill dir ymmer zu erfaren moglich, vleis furwenden, zu erforschen, wes solhe bothschafter bey ko.mt. werben und handeln werden, und wes die also in erfarung kompt, uns dasselbig ins furderlichst zu schreiben. An dem allen thustu unser maynung in gnaden widerumb zu erkennen. Datum Vischausen ut supra.

a) *sequitur expunctum*: donation
b) *sequitur expunctum*: hoch
1) *Ianussius.*
2) *Vladislaus Jagellonicus.*
3) *Ludovicus II Jagellonicus.*

N. 297.

Fischhausen, 27.VII.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo in Bratian [Ioanni Wieczwiński]*
*pro novis, imprimis de legatione Turcica ad regem, gratias agit et ipse aliqua nova scribit; de imperatoris in Italiam parata expeditione, de papa aegrotante etc.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 48-49.*

An heuptman zu Bretgen den 27 tag Julii etc.

Unsern gruis zuvor.

Edler, lieber, besonder.

Euer schreiben, des datum steth Carnisyn den XVIII Julii dis jtzigen jars, haben wir empfangen und undter andern daraus vorstanden, wie der Turckenn bothschaft mit funffzigk pferden zu ko.mt. zu rayssen auf dem wege sein, bey welchen des Walachen und auch die muschkauische bothschaft, in willens in das letzte theil der welt, die Muschkaw, zu ziehen, und das wir solhs, dweyl als es bey unsern zeiten nie erhort, also auch sorgfeltig sey, wohyn es gelangen wolle, bewegen und bedencken wolten. Hierauf wollen wir euch nith vorhalten, das wir uns erstlich zuschickung solcher zeytung gegen euch gnediglichen thun bedancken und das unser jungen einer, gleich in dieser stundt, als uns euer schreiben zukommen, von ko.mt. undter andern solche zeytung, ydoch allein des Turckenn[1] bothschaft halben, zupracht, die wir auch in willens, wo wir mit den euren nit furkommen, euch zuzeschicken lassen. Und ist nicht onn, das solhe drey bothschaften hohes bedencken und erwegeng[z] woll vonnoten. Dweyl aber solhs grosser, hoher vornufft, vorstanndts und weysshait bedorfftig, wollen wir uns vorsehen, ko.mt., als der alte, hochverstendige und weysse konig, werde solhs woll ermessen und bewegen; Got vorleyhe gnad, das nit wider Litthaw, Masaw, Polann und uns dardurch etwas practicirt werde.

Von newen zeytungen wissen wir euch nichs sonderlichs zu schreiben, dann das romische kay.mt[2] starck gerust in welsche landt zu reyssen und das die Venediger sein ankunft in welsche landt mit grossem volck zu weren sich undterstehen. Auch das der babst[3] abermalhs in vorige kranckhait gefallen, dardurch sich ferligkait seins lebens zu besorgen.

Es haben sich auch die zwen bruder, so umb das procopisch tatterisch kayserthumb etc., ut in litteris Friderici ducis Lignitensis etc[z].

Wir uberschicken euch auch hiemit eur zugesandte zeitung widderumb zu und thun uns derselben gegen euch mit sondern gnaden bedancken.

Das wir auch die tagsatzung, orth und stell in des Bartynsskys und unsers heuptmans zum Hohenstain handlung erstrecken und gen Neydennburgk zu verhören, erlegen wolten, weren wir euer bith nachzethun nit ungenaigt. Dweyl wir aber unser hoffrethe, die solhe sachen zum theyll verhort, so weit von Konigspergk nit schicken konnen noch mogen, auch derselben von Konigspergk nit emperen dieser zeit wissen, haben wir in solcher angesetzter tagsberaumung und ernennung der stell kein enderung thun konnen, sonder lassen es bey vorigen,

durch unser rethe gegebenem abschiedt pleiben. Euch sonst gnedigen willen zu beweyssen sein wir genaigt. Datum Vischausen ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Brethge.

z) *sic in ms.*
1) *Solimanus II.*
2) *Carolus V.*
3) *Clemens VII.*

## *N. 298.*

*E Regio Monte, 31.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de sua in re monetaria auctoritati regiae oboedientia et de Gedanensium reluctantia.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 389-391.*

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Quae mihi Serenissima Vestra Maiestas Regia in caussa monetaria scripsit, obsequioso animo legi. Perplacuit consilium Maiestatis Vestrae, quod de conventu Graudnecensi mutando coepit ob rem monetariam finiendam, publicarum quoque legum sanctionem. Aderunt consiliarii mei cum pleno mandato. De studio meo et opera earum rerum conficiendarum pro Maiestatis Vestrae sententia nihil dubitet eadem. Semper is est animus meus, qui parere velit voluntati Regis et Domini mei clementissimi, aliam de me opinionem vel suspicionem merito meo Vestra Maiestas non concipiet. Authores rei monetariae remoratae nunc praesente[z] Regiae Vestrae Maiestati non incognitos. Et quidem haud vana me narrasse Maiestati Vestrae testimonium dabit litterarum Reverendi Praesulis Culmensis[1], ad me his diebus missarum, exemplum, deinde nudius tertius et a civibus meis Konigsbergensibus proposita querela comprobavit verum esse, quod ego Gedanensibus nuper tribui. Certissimi quoque erunt testes Maiestatis Vestrae Regiae consiliarii, Domini Tzema[2] et Balintzky[3], qui a publicatione mandati Gedanensium reluctatione desistere coacti sunt. Quae res cum nota sit civibus meis, quos et eius famae authores habeo, argumentum praebet Maiestati Vestrae esse, quod mirentur, me mandati Maiestatis Vestrae tam severum exequutorem, quum aspernentur rursum hoc Gedanenses, interim monetae antiquae et auri optimi venatores.

Sic stat mea sententia, in hoc est voluntas mea, percupio Regis mei autoritatem et potestatem apud suos esse sanctam; rursum inobedientiam populi sui et praesertim unius civitatis, tum insignem tum perhennem, detestor, quae et sic mihi, Regiae Vestrae Maiestati dedito, adprime dolet. Auro apprestando[a] mandatum Maiestatis Vestrae suam legem tulit. At in Gedano hac consuetudine antiqua nostri nostrorumque subditorum iniuria et iactura fruitur[b], et tamen fuerunt et forte adhuc sunt, qui persuadent Regiae Vestrae Maiestati, esse me et unicum et maximum voluntatis regiae impeditorem, sed et inno-

centia mea me solatur, simul et defendit eam litterarum Reverendi Domini Culmensis testimonium. Quare rogo Maiestatem Vestram Regiam plurimum et quidem obsequiosissime, ne aliam quam optimam et dignam nostro communi sanguine sibi de me opinionem concipiat. Non ignoro, meque sola hac spe potissimum per omnem vitam meam solabor, me esse Maiestatis Vestrae subditum fidelem et iuratum Principem, qui velit authoritatem Regis sui apud suos non esse potentia et dignitate sua minorem... Datum ultima Iulii 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae ultima Iulii.

a) *lectio incerta, in ms.* appretrando
b) *in ms.* fruiter
z) *sic in ms*

1) *Ioannes Konopacki, ep. Culmensis.*
2) *Achatius Czema.*
3) *Ioannes Baliński.*

*N. 299.*

*E Regio Monte, 31.VII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*magistro curiae reginae Bonae* [*Nicolao Wolski*]
*pro salutationibus gratias agit; de meliore regis valetudine gaudet; reginam cum liberis salutat; se audivisse ait de oratoribus Moscoviticis et Turcicis in Moscoviam simul tendentibus.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 139.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 391-392.*

*N. 300.*

*E Regio Monte, 1.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Haberlandt, civi Posnaniensi,*
*rogat, ut acclusam epistolam Theodorico a Reden, Romae moranti, transmittat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 42v.*

*N. 301.*

*Fischhausen, 2.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*adolescentem Christophorum a Kreitzen (Creytz), magistri curiae suae* [*Melchioris*] *filium, mittit et commendat, ut eum* « in Cancellariam suam atque numerum selectiorum servitorum suscipiat curetque, ut Polonicam Bohemicamque linguam eo praecipuo modo discat: scribendo et transferendo ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 392-393.*

N. 302.

*Fischhausen, 8.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de responso ab imperatore ad legationem magistri Livoniae dato.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 397-399.*

Significaveram nuper Maiestati Vestrae per Egregium Cancellarium Consiliariumque nostrum, fidelem nobis dilectum Friderichum Fischer, utriusque iuris doctorem, quae Magister Livoniae[1] contra nos apud Maiestatem Caesaream[2] egisset. Sed quum eiusdem Magistri petitionem subsequutam Caesaris responsionem iam demum certiori relatione perceperim, volui, quod et debui, eandem Maiestati Vestrae Regiae quam primum exponere.

Nunctius eius legationis fuit Dominus Rupertus, Magnus Commendator in Velin[3]. Is a Maiestate Caesarea Magistri Livoniae nomine petiit. Quoniam Magnus Magister in Prussia (hac odiosa descriptione me notans) Ordinem deseruit adsumpto diverso statu, ita ut tam ipse quam quidam ex suis matrimonio studeant terram Prussiae sibi haereditariam reddere etc., Caesarea Maiestas dignaretur auxilio, consilio et favore caesareo Magistro Livoniae et Ordini adesse, ne Teutonicus Ordo, qui totius Christianitatis portum quendam in terris Prussiae praestaret, sic Magistri Prussiae facto periclitaretur infidelesque Rutheni rerum forte potirentur in Livonia. Ad haec Caesarea Maiestas litteris respondit et iussit Magistrum Livoniae recordatione egregiorum factorum facinorumque suorum, in salutem earundem terrarum Prussiae gestorum, sui semper similem esse, nec ab instituto suo et antecessorum deviare. Proinde velit Caesarea Sua Maiestas, quam primum Germaniam appulerit[a], Magistro Livoniae et Ordini ad omnia ea assequenda clementem suam operam auxiliumque impendere, quae Magister Livoniae et Ordo iure sibi vindicaturi essent.

Haec quemadmodum nunc veriori relatione didicimus, Maiestati Vestrae Regiae, Domino meo clementissimo amantissimoque, pro debita in illam observantia mea significare volui. Quae Maiestas Vestra secum perpendere poterit atque suo tempore de iis deliberare, et quoniam non nisi optimo obsequiosoque animo haec a me scribuntur, rogo plurimum, Regia Vestra Maiestas tali animo quoque audiat atque mente reposita esse patiatur. Cui me Domino, Regi et avunculo meo piissimo et amantissimo, semper commendo. Ex Vischaussen, 8 Augusti.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 8 Augusti.

a) *sequitur expunctum*: quam primum Germaniam

1) *Valterus a Plettenberg.*
2) *Carolus V.*
3) *Rupertus Grave.*

N. 303.

*Fischhausen, 10.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de consiliario suo ad Comitia Spirensia misso; de causa ducis ibidem non agitata; de eorundem Comitiorum parum felici exitu, ordinibus Imperii in contrarias sententias scissis; de summa defensionis super negotio suo secretario Georgii marchionis tradita; rogat, ut rege absente transumptum iurium Regni super Prussiam sibi a Szydłowiecki mittatur; de oratorum regum Ioannis et Ferdinandi, imperatoris Turcarum, magni ducis Moscoviae, Valachorum et regis Galliae ad regem Poloniae adventu miratur; de re monetaria.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 148.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 393-397.*

Salutem et quicquid grati officii etc.
Illustris et Magnifice Frater nobis charissime.

Et nos nihilominus oblectaverunt litterae Illustris Magnificentiae Vestrae, sic ornatae, officiosae et amanter scriptae, ut silentio eas laudare malimus quam verbis, ne minus dicamus sententia nostra. Et ut gratiae gratias scandant, quando et merita scandunt merita, agimus denuo Illustri Magnificentiae Vestrae quam maximas. At in referendo gratias animus est et voluntas, nam tali animo responsa nostra Serenissimo Ferdinando Regi data et nunctiatam praematuram consiliarii nostri mortem, nova quoque quaedam accepit Illustris Magnificentia Vestra, sic nobis iuxta haec gratulata est, sic rursum consolata, sic demum vicissim rerum novarum voluptate nos affecit, ut amantius prudentiusque non potuerit. Quare nos hoc nomine, ut aliis multis, Vestrae Illustri[a] Magnificentiae iterum atque iterum plurimum debere fatemur.

Miseramus consiliarium quendam nostrum ad Comitia Spirensia, si forte adversarii nostri quid contra nos moliti[b] essent, aut caussa nostra durius proponeretur, ut ille ingenio suo et opera accusationis asperitatem leniret et calumnias prosterneret[z]. At quando neque caussa nostra agitata est, neque ipsa Comitia negotiaque publica parum foelices exitus sortita sunt, utpote ipsis ordinibus Imperii in contrarias sententias et studia diversa scissis, nostra defensio quoque silentio usa est, optaremus quidem Reipublicate gratia meliorem[c] harum rerum exitum, sed non merentur forte peccata nostra communem tranquillitatem. At precamur, largiatur eam Dominus propter nomen suum sanctum. Pars altera, quorum in numero sunt Illustrissimi Principes quidam et non postremae civitates Germaniae, rem protestatione egerunt. Cuius exemplum Illustris Magnificentia Vestra his adiunctum accipit littera A. Mittuntur ab ea parte oratores ad Maiestatem Caesariam[z] [1], ne videantur illi parum legittimis ex[d] caussis Comitiorum conclusioni obstrepuisse.

Consiliarius et nunctius noster, simulatque eam legationem percepit, sano usus consilio, defensionis caussaeque nostrae summam secretario Illustrissimi fratris nostri, Marchionis Georgii, tradidit, ut ille explorato prius hoc, an Caesareae Maiestatis iussu aut voluntate

mandatum contra nos ad instantiam Magistri Alemaniae[2] vigesimo septimo anno emissum sit, hoc ita se habente iussus est Caesaream Maiestatem praescripto modo informare. Huius quoque exemplum Illustri Magnificentiae Vestrae mittimus littera B, si forte aut copia aut inopia peccet, quo rectius posthac coutamur. Quoniam autem nihil dubitamus Caesaream Maiestatem ita adversariis nostris vigilantibus et cum praefatis oratoribus et alias, potissimum autem in consilio proximo, ubicunque et quandocunque hoc celebrabitur, tractaturam nostrum negotium, et nos utique a partibus inclytissimae[z] Poloniae Regni stemus, in illius verba fidem et honorem iurati, nobis honestissimum duximus omnes curas, cogitationes studiumque nostrum eo intendere, ut salutem dignitatemque illius non minus quam nostram tueamur. Proinde iura nostra, quibus Magnus Magister utebamur, Regno tradiderimus. E re nostra, imo et Regni florentissimi erit, iura illius quoque, quae de terris nostris Prussiae habuit et tenet, nos non ignorare. Quare Inclytam et Illustrem Magnificentiam Vestram plurimum oramus, quandoquidem abest a Regno Sacra Maiestas Regia, Vestra Illustris Magnificentia curet ea ipsa iura extrahi atque sic extracta nobis, quantum illam decuerit, mittat. Plane candido, simplici et bono animo haec a Magnificentia Vestra Inclyta petimus rogantes ea et accipi a nobis optimo animo.

Significabat nobis nuper Illustris Magnificentia Vestra Dominum Lasky, Regis Ioannis, simul et Sigismundum a Hermstein, Ferdinandi Regis oratores, isthic convenisse, neque tutum esse tunc ea litteris committere, quae tractata essent. Iuxta haec intelligimus eundem Sigismundum, Serenissimi Ferdinandi Regis iterum oratorem, simul et alios Caesaris Turcarum[3] cum Muscovitarum Walachorumque[e] nuntiis, Serenissimi item Franciae[4] Regis, certe potentissimorum fere orbis Principum eorumque tanta animorum diversitate praedictorum[z] oratores, apud potentissimum nostrum Regem et Dominum omnes coire. Quae res et nova est et nobis mirum in modum mira ita, ut novitatum earum omnium percupidissimi facti simus, rerum eventum expectantes. Dominus Deus omnium illorum adventum bene vertat. Speramus tamen Serenissimam Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, sic prospecturam negotiis, ne Caesaris Turcarum, simul et Moscovitarum Valachorumque nuntii in Muscoviam (quemadmodum nobis relatum est) post Lithuaniae adpulsionem tendentes, quid mali illic parturiant, postea induciarum tempore finito pariendum.

Nova moneta tardius prodit quam coeperat, quippe quae satis habet impeditorum. Nos paruimus Sacrae Maiestati Regiae cum nostris, paremus hodie et parebimus semper. Gedanenses regios consiliarios, Dominos Balintzky[5] et Zema[6], mandatum regium illic publicaturos prohibuerunt. Quae res nobis placere non potest, qui Regis nostri authoritatem apud suos potentia non minorem optamus. Plurimum proinde Vestram Illustrem Magnificentiam rogamus, eam operam navet, ne maximo nostro nostrorumque damno moneta haec nova posthac quoque suos reperiat imitatores. Iam tandem speramus manifestos esse sacrae regiae voluntatis adversarios, qui monetam veterem bonam cum exugerint aurumque e tota Prussia corraserint, nunc inobedientia denique sua noti esse volunt. Suspicamur illos caussam inobedientiae suae hinc haurire, quod monetae eis potestas facta non est. Quod prudentissimi Regis factum sua insigni ratione carere non potest, nam et nos coniicimus, ubi monetam novam cuderint Gedanenses, brevi

fore, ut soli illi et cambio et negotiationibus caeteras opprimant civitates, id quod etiamnum ferme artibus suis confecerunt.

His diebus nobiscum fuit Magnifici Domini Alberti Gastolt, Palatini Wilnensis, nunctius et nostram et Illustrissimae consortis nostrae[7] amicitiam captans. Ad quam rem nos faciles praebuimus, utpote qui omnium hominum amicitiam nobis optamus.

Quae omnia Illustri Magnificentiae Vestrae nota esse volumus, fratri nostro charissimo, prudentissimo modisque omnibus clarissimo. Quam diu salvam, foelicem et florentem cum Illustri coniuge[8] et suavissimis liberis exoptamus. Optat idem ex animo Illustris nostra consors. Bene valeat Illustris Magnificentia Vestra. Ex Vischausen, die decimo Augusti.

*In initio epistolae in margine superiori:* Ad Dominum Schidlowitz, 10 Augusti.

a) *in ms.* militi *sequitur expunctum*: Vestrae
b) *in ms.* militi
c) *in ms.* mediocrem
d) *supra lineam.*
e) *sequitur expunctum*: nunctiis
z) *sic in ms.*
1) *Carolus V*
2) *Valterus de Cronberg.*
3) *Solimanus II.*
4) *Franciscus I.*
5) *Ioannes Baliński.*
6) *Achatius Czema.*
7) *Dorothea.*
8) *Sophia de Targowisko.*

## *N. 304.*

*Fischhausen, 10.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de magistri Livoniae et dominorum Ordinis Theutonici in Germania contra se conatibus refert.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 148.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 399-401.*

Nunctius noster, quo nuper usi[a] sumus apud Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, nostro nomine illi retulit et[b] Domini Magistri Livoniae[1] et Dominorum Teutonici Ordinis in Alemania contra nos conatus. Quoniam autem illorum technae, insidiae et hostiles animi iam tandem sese aperiunt eaque omnia diligentius quam ante nobis a quibusdam interim perscripta sunt, denuo Regiam Maiestatem compertam veritatem noluimus ignorare. Iuxta haec non videbatur nobis, ut a fratre amantissimo insimulari possemus, aut negligentia aut officii parum memores. Quare rem, ut ab utrisque tentata est, brevibus perstringemus, Illustrique Magnificentiae Vestrae notam esse volumus.

Domini Ordinis Teutonici Serenissimo Ferdinando Regi auxilium et suppetias promiserunt contra Turcarum Caesarem[2]. Nam mittunt singuli Commendatores, ut vocant, octo equites, quos et sumptibus suis propriis alunt, hac tamen conditione adposita, rogata et, ut fer-

tur, impetrata, ut superstitibus equitibus ipsi Regnum Poloniae invadant eo praetextu, quod Regiae Maiestatis subditi (sic ipsis quidem calumniantibus) adiuverint Ioannem Regem. Hanc narrationem a quibusdam nobis perscriptam, non quidem ut certissimam, Regiae Maiestati tamen referri fecimus, quo illa pro incomparabili sua prudentia facile mederetur his debilibus fulminibus, utpote minutilorum deorum, quorum, ut speramus, vanam et sine viribus iram, tamen non ita usquequaque contempnendam arbitramur.

Alteros nisus Magistri Livoniae et quidem rem veram certamque Regiae Maiestati hodie per litteras significamus. Nam compertum habemus, Magistrum Livoniae misisse ad Caesaream Maiestatem[3] Dominum Rupertum[4], Magnum Commendatorem in Velin, nuncium suum. Is a Caesarea Maiestate Magistri nomine peciit. Quoniam Magnus in Prussia Magister (hac odiosa appellacione nos significans) Ordinem deseruerit assumpto diverso statu, ita ut tam ipse quam quidam ex suis matrimonio studeant terram Prussiae sibi hereditariam reddere etc., Caesarea Maiestas dignaretur auxilio, consilio et favore caesareo Magistro Livoniae et Ordini adesse, ne Teutonicus Ordo, qui tocius Christianitatis portum quendam in terris Prussiae prestaret, sic Magni Magistri in Prussia facto periclitaretur infidelesque Rutheni rerum forte potirentur in Livonia. Ad haec Caesarea Maiestas litteris respondit et iussit Magistrum Livoniae recordacione egregiorum factorum facinorumque suorum, in salutem earundem terrarum Prussiae gestorum, sui semper similem esse, nec ab instituto suo et antecessorum deviare. Proinde velit Caesarea Sua Maiestas, quam primum Germaniam appulerit, Magistro Livoniae et Ordini ad omnia ea assequenda clementem suam operam auxiliumque impendere, quae Magister Livoniae et Ordo iure sibi vendicaturi essent.

Nos, qui neque Maiestati Regiae, Domino nostro clementissimo, neque eciam nobis multum metuimus ob illorum perversam[c], quam illi de nobis concepere opinionem indignacionemque, tamen pro nostra in Sacram Regiam Maiestatem et Inclytissimum Regnum observantia noluimus Maiestatem illius, neque item Illustrem Magnificentiam Vestram, hos fumos ignorare. Nam ut dicit ille: Flamma recens parva sparsa resedit aqua. Quare amice rogamus, Illustris Magnificentia Vestra secum perpendat, id quod a Sacra Regia Maiestate petivimus, quid hac in re faciundum sit. Nos ad nutum et voluntatem Maiestatis Regiae, Domini nostri clementissimi et amantissimi, stamus. Cui semper per Vestram Illustrem Magnificentiam commendari exoptamus. Bene valeat Illustris Vestra Magnificentia cum inclyta consorte[5] et dulcibus liberis. Hoc idem precatur consors nostra[6] Illustris et nobis merito suo charissima. Datum ex Vischausen, die 10 Augusti 1529.

*In initio epistolae in margine superiori:* Schiedlovitz, 10 Augusti.

a) *in ms.* usu
b) *in ms. ex*
c) *verbum correctum.*
1) *Valterus de Plettenberg.*
2) *Solimanus II.*
3) *Carolus V.*
4) *Grave.*
5) *Sophia a Targowisko.*
6) *Dorothea.*

N. 305.

*Fischhausen, 11.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, zuppario et burgrabio Cracoviensi,*
*de valetudine sua et suorum edoceri desiderat; nova sibi mitti petit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 49.*

N. 306.

*Fischhausen, 18.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro civibus Regiomontanis et Gedanensibus intercedit, qui se in quibusdam eorum privilegiis a Caunensibus impediri queruntur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 406-407.*

N. 307.

*Fischhausen, 19.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de Gedanensibus observationi novae monetae, Marienburgensi decreto et mandato regio constitutae, vehementer adversantibus et de nuntiis eorum hac de re tractaturis ad Christophorum Szydłowiecki et alios proceres Polonos iam missis atque ad regem quoque mittendis.*

*Cfr. El. XXX, N. 60.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 407-408.*

Fama incertus solet esse testis, sed qui interim verissimam eciam rem perferat. Ego in re gravissima et periculosissima nolui aspernari ea, quae constanti fama didici. Dicuntur Gedanenses conspiracione publica niti in observacionem veteris usus monetae, quem sic mordicus tenent, ut cicius sint Caesaris[1] authoritatem imploraturi, si fuerit opus, quam permittere velint, priore monetae observacione abrogata, novam sibi institui. Qua de causa miserunt scribam civitatis ad Magnificum Dominum Christophorum Schidlowitzky et quosdam alios proceres Regni Maiestatis Vestrae Polonici, missuri et alios duos e medio suo ad Regiam Vestram Maiestatem summis viribus conando, ne quid aut innovetur aut statuatur[a] secus, quam hactenus usus et consuetudo publica in commercio pecuniario obtinuit.

Quo efficitur, quominus decretum Marienburgense, communi consensu comprobatum, simul eciam regium verum edictum, eius rei gra-

cia publicatum, efficaciam suam consequantur, in publicum damnum et regii nominis derogacionem. Eius rei Regiam Vestram Maiestatem commonefacere volui, antequam delegati Gedanensium nuncii eandem Maiestatem Vestram convenirent. Caeterum quae immensa damna mihi et meis inaequalitas haec pariat, Regia Vestra Maiestas alia et longiore epistola accipiet, nostra manu scripta. Haec per Cancellarium nostrum, qui a nobis abest, celeriter scribi iussimus. Regiam Vestram Maiestatem semper bene valere exopto. Datum ex Konigspergio 19 Augusti 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 19 Augusti.

a) *sequitur expunctum:* quam
1) *Carolus V.*

*N. 308.*

*Fischhausen, 20.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de Elbingensibus et Gedanensibus queritur, qui decretis Conventus Marienburgensis et mandato regio de nova moneta edito minime obtemperantes, veteribus monetae generibus utuntur, magno cum suo et subditorum suorum damno.*

*Cfr. El. XXX, N. 60.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 403-406.*

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Optarem mihi Ulysseam eloquenciam, qua uterer in hac monetaria et quidem gravissima causa. Sed ut non patitur longiorem fucacioremque oracionem immensum subditorum meorum damnum imminens, mihi cum illis commune, ita rursum tanta Clemenciae Vestrae Regiae prudencia fucum et delicias oracionis non requirit in caussa omnium arduissima: dignum est monetarium negocium, quod studiis, curis, cogitacionibus, somnis denique nostris presit, nedum intersit.

Subditi mei queruntur, Clementissime mi Rex, rogant, obsecrant, illachrimantur, obtestantur calamitatemque suam variis miserabilibusque gestibus deplorant, quod pace bona et sancta, propicio Rege, clemente coelo, messe mirum in modum ipsaque terra sua gracia et fertilitate delectabilibus, coguntur ab ingravescente abominosa omnium rerum subita caritate interire. Violencius quidem et celerius, quam si quorumvis hostium immanitatem experirentur. Vanum me non putet Rex, atqui vanum me esse vellem.

Causa mali haec est. Mandatum Maiestatis Vestrae Regiae, de nova moneta constitutum, a me et meis debita Regi optimo et maximo reverencia obedienciaque observatur; a Regiae Vestrae Maiestatis subditis non item, quos omnium maxime decebat, quo libencius sequerentur mei, neque numero neque censu illis pares. Invitus quidem dico haec, sed vera recenso. Elbingenses et Gedanenses, aspernantes Regiae Vestrae Maiestatis mandatum, veteri moneta, denario, solido, grosso, valore, marca, numero utuntur contra Marienburgensis Conventus

placita, contra denique Maiestatis Vestrae regium divulgatumque mandatum. Quae res non potest mihi, sic Maiestati Vestrae addicto, non displicere. Notam credo fidem meam, neque precium opere puto, ut multis hanc persuadeam Vestrae Maiestati. Et ut displicet plurimum Maiestatem tantam laesam hac illorum audacia, ita quoque mihi et subditis meis sentitur plane exicialis.

De inobediencia subditorum Maiestatis Vestrae quid senciam, brevibus dicam: minuet authoritatem Maiestatis Vestrae Regiae, expilabit terram meam subditorumque meorum animos exemplo malo corrumpet, ut solent semper mala malis se adglomerare. Nam qui non sic divinaret animus meus, ubi auditis his querelis meorum, quae singulis diebus augentur, illi a me liberacionem[a] maturam sperantes, nil nisi assuetas, nihilominus tamen invisas voces audiunt: mandamus, iubemus, volumus et alia eius generis, cum interim videant Maiestatis Vestrae Regiae subditos impune Domino suo obstrepere eodemque opera terram nostram auro, argento negociacioneque privare? Neque haec fidem desyderant. Ego et subditi mei scimus et experimur, proch dolor, ignorantibus facilis fieri potest probacio. Gedanenses tribus grossis et quidem antiquis emunt, quod nostri quattuor statim prolato mandato comparabant. Nunc autem vix sex pacisci possunt, siquidem alius alium imitatur precia rerum augendo. Principium fecit agricola, qui cum videt pensionem annuam a se praestandam auctam, res suas carius venum exponit; sequitur artifex, atque dum alius alium auctione urget, omnes simul improvidi in immensam caritatem collabuntur. Neque ullis minis deterriti, eciamnum pro comeatu parando Gedanum petunt ob subitam eamque immensam omnium rerum caritatem indies gravescentem. Poloni, Masovitae aliique Ducatui nostro vicini populi, intellecta caritate, quae in terris meis coorta est, frumenti quidem copiam huc ducunt, sed pecuniam ex auctione concretam Gedani malunt emendis necessariis rebus expendere quam hic, nimirum arridente illis precii istic vilitate.

Hinc coniicere licet, quod commodarit regii mandati contemptoribus nostra obediencia. Fugit e terris meis argentea moneta, quando talaribus auratis negociacio cum illa certat cursu. Et non[b] visitur nunc toto mense aureus unus, quorum copiam iam dudum querebantur subditi nostri, latitante apud diciores argentea moneta. Iam hoc quoque mali fama circumferet, conspirasse Gedanensium Senatum, iudices, mercatores et plebem, ne unquam mandato Maiestatis Vestrae Regiae obtemperent; misisse eciam illos Cracoviam eam ob rem nuncios suos ad Regni Poloniae proceres, designasse item qui paulo post Maiestatem Vestram accedant, persuasuri esse hoc mandatum monetae novae contra salutem tranquillitatemque harum terrarum Pruthenicarum. Quod tot conventibus celebratis ne cogitarunt quidem, quousque nos obedienciam nostram testaremur omnibus.

Illud eciam fama didicimus: Elbingenses et Gedanenses muros, moenia, turres, tormenta caeterosque bellicos apparatus instruunt, Braunspergensibus commodato bombardulas aliquot misere. Sed quando famam hanc certam asserere nescio, nolui in re non contemnenda debitam diligenciam intermittere. Proinde misi exploratores, qui rei veritatem diligenter investigant. Quam compertam Regiam Vestram Maiestatem per nobilem[c] Foelicem de Alden, familiarem nostrum, latere nolo.

Quare Serenissimam Maiestatem Vestram Regiam per sacrum suum caput oro, dignetur meae Reipublicae sic afflictae clementer succurrere atque audaciae huic subditorum suorum, quae ad minuendam Maiestatis Vestrae authoritatem nostramque Rempublicam funditus evertendam coepta est, regia et iusta severitate obviare. Neque adduci possumus, ut credamus monetam hanc novam in meam meorumque perniciem inventam, et melius speramus de Maiestate Vestra Regia, quam ut contra innatam suam benignitatem et sanguinis nostri coniunctionem ad tantam terrae nostrae cladem conniveat. Ut libere dicam quod sencio, mallem trium annorum bellum ab inimicis perpeti, quam eam vicinorum meorum iniuriam, quae nisi per Regiam Vestram Maiestatem clementer et quidem brevi propulsabitur a nobis, timemus[d], ne indignacione rei nostri subditi commoti inter se ipsos manum conserant. Quod ne fiat, Maiestatem Vestram iterum atque iterum obtestor et vehementer et obsequiose. In cuius prudencia, iusticia, aequitate, solercia, potencia sita est salus omnis meae Reipublicae, tanquam a filo pendens. Quae ubi sic exanimata benignitate Clemenciae Vestrae revixerit, nihil minus debebit liberata suo Regi, quam olim Camillo suo Roma. Maiestati Vestrae Regiae me et subditos meos vehemencius quam unquam antea commendatos esse velim. Quam valere suaviter et cum summa imperandi foelicitate exopto. Datum ex Vischhausen, 20 Augusti.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 20 Augusti.

a) *sequitur verbum expunctum.*
b) *sequitur littera expuncta.*
c) *sequitur expunctum:* de
d) *sequitur verbum expunctum.*

## *N. 309.*

*Fischhausen, 20.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*nomine suo et uxoris pro comprobatione donationis, a se eidem uxori suae factae, gratias agit et rogat, ut etiam germanicae confirmationis litterae conficiantur, quo eas et uxor sua intelligere possit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 402-403.*

Semper apud Regiam Vestram Maiestatem voti compos fio, ita ut dupliciter peccem, si debita reverencia Maiestatem Vestram non observem ac colam. Accepi Donacionem Maiestatis Vestrae, Comprobacionem nunc demum perfectam et plenam. Habeo Maiestati Vestrae ob hanc benevolenciam plane regiam maximam graciam. Hoc idem agit meis verbis Illustris consors nostra[1], Maiestatis Vestrae humilis ministra et filia. Caeterum Maiestatem Vestram, Dominum meum clementissimum et amantissimum, rogo, quando Illustris nostra consors Latine non intelligit et confirmatae Donacionis modum fide magis quam oculis comprehendat et teneat, dignetur illa non gravari, postquam foelix in Regnum suum redierit, et lingua Alemanica hanc eandem Donacionem confirmare. Quod ubi a Regia Maiestate Vestra impetraveri-

mus, beneficium hoc immemori collatum esse non sinam. Vestram Regiam Maiestatem plurimum semper et quidem optime valere exopto. Cui me ex animo et unice commendo. Datum ex Vischausen, 20 Augusti.
*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 20 Augusti.

1) *Dorothea.*

*N. 310.*

*Fischhausen, 20.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de Gedanensibus, contempto Marienburgensi decreto de re monetaria edito, novae monetae usum acceptare nolentibus deque gravibus damnis inde secuturis.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 148.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 408-410.*

Amplissimam Dominacionem Vestram plurima salute impartiri cupimus, Frater charissime.

Inter multas gravesque sollicitudines cum privatas, tum publicas, non minimam porcionem sibi vendicat res monetaria, ex cuius inaequali observacione nascuntur querelae et incommoda non pauca, unde periculum sit, ne quid amplius emergat. Qua de re ad longum scripsimus Regiae Maiestati. Proximum est, id ipsum ad Magnificenciam Vestram referamus pro capiendo consilio, quo certe egemus in negocio tam perplexo. Gedanenses conspiracione publica nituntur in observacionem veteris usus, quem sic mordicus tenent, ut cicius sint imploraturi Caesaris[1] auctoritatem, si fuerit opus, quam permittere velint, priore monetae observacione abrogata, novam sibi institui. Qua de causa miserunt scribam civitatis ad Magnificentiam Vestram et ad quosdam alios magnates Regni Poloniae, missuri eciam et alios duos e medio suo ad Regiam Maiestatem in Lithuaniam, summis viribus conando, ne quid aut innovetur aut statuatur secus, quam hactenus usus et consuetudo publica in commercio pecuniario obtinuit. Quo efficitur, quominus decretum, in Comiciis Marienburgensibus communi consensu approbatum, simul eciam regium aedictum eius rei gracia publicatum, efficaciam suam consequantur, in publicum damnum et regii nominis derogacionem.

Iam arbitror Amplissimae Dominacioni Vestrae non excidisse e memoria, quae gravamina, quae detrimenta consequutura ex transmutacione novandae monetae in medium protulerimus in Conventu Gedanensi, dum adesset Regia Maiestas. Quod et antea et postea per nostros, quocies in publicum consultum est, frequenter est repetitum, quando lente festinabamus in assensum talis variacionis, ex qua perspeximus non levem difficultatem coorituram. Non eciam ignorat Inclyta Magnificencia Vestra, qui clamores, quae accusaciones et querelae consecutae sint ex hac cunctacione, quae rapiebatur in gravem invidiam, quasi unicum impedimentum publicae utilitatis. Tandem ergo posthabitis omnibus gravaminibus, quae sane non parva fuere, praetu-

limus obsequium erga Regiam Maiestatem commodis propriis et publicis, egre et magna difficultate subditorum [animis] ad hoc persuasis, ut consentirent in transmutacionem illam usitatae monetae, ex qua novacione prae oculis viderunt certissima damna.

Habita itaque communi deliberacione inter Regiae Maiestatis consiliarios hic in Prussia presidentes, et conclusum fuit omnium approbacione, nobis eciam assencientibus parentibusque obsequenter regiae voluntati, ut per universum Regnum Poloniae totamque Prussiam cuderetur moneta paris valoris, qua et non alia in suis commerciis uterque populus uteretur. Quae cum ita se habeant, nemo persuadebit nobis nomen, commodum honoremque nostrum tam nihili penderi ab optimatibus Regni Poloniae, ut concessuri sint Gedanensibus istis eam licenciam, qua sibi permittant irrita facere publica decreta, quorum et ipsi similiter auctores fuerunt; edicta Regis, cuius imperio omnes parere debemus, contemnere in irreparabile damnum, in praesentissimam perniciem subditorum meorum, quos magna vi coercemus, ne regium mandatum transgrediantur; quod certe illaesum inviolatumque custodiunt, quoniam hoc iubemus, in hoc firmiter manemus, nec avelli nos sinimus.

Hic considerare licet, qualis futurus sit status publicus in hac Prussia, quae obediencia, quod obsequium et honor erga Regiam Maiestatem, si nunc retractare ipsis permissum fuerit et negligere decretum illud Marienburgense, in quo statuendo adfuerunt et consultores et approbatores, cui pro publico testimonio una cum caeteris sigillum suum appenderunt; si regii aedicti omnia confirmantis et parere iubentis septum transilire indultum fuerit obarmatis pertinaci reclamacione et conspiracione mutua, secus quam convenit publicae tranquillitati. Haec res, inquam, imis sensibus reponenda omnibus proceribus Regni Polonici, qui Reipublicae consultum volunt et malis iniciis occursum. Haec pro necessitate rerum praesencium cum ex nostra, tum regia ex parte indicare voluimus, expetentes a sapiencia Magnificenciae Vestrae consilium, auxilium et providenciam contra mala minancia... Datum ex Vischhausen, 20 Augusti anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Christophorum a Schidlowytzky, 20 Augusti.

1) *Carolus V*

*N. 311.*

*Fischhausen, 20.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*de regia valetudine restituta gaudet; pro missis sibi litteris confirmationis (donationis uxori factae) latinis gratias agit et rogat, ut germanicae etiam sibi mittantur, quo eas uxor sua intelligere queat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 401-402.*

*N. 312.*

*Fischhausen, 20.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi [Petro Tomicki]*
*de irreparabilibus damnis ex Gedanensium inoboedientia et obstinatione promanaturis, qui novae monetae usum contra decretum Marienburgense et regis mandatum acceptare nolunt.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 147.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 410-413.*

Reverendissimam Vestram Paternitatem salvam esse peroptamus. Quibus malis ubique terrarum concuciuntur res mortalium, nemo bonus non audit cum dolore. Quae profecto tanta non essent, nisi ab inicio, dum parva erant, neglecta fuissent. A quo experimento providenciores fieri debemus, quicunque publica administracione fungimur. Quae deliberaciones, quae comicia habita sint, ut in debitum progressum dirigeretur usus publicus rei monetariae, successu temporis depravatus, nemo melius novit Reverendissima Vestra Paternitate. Audet tamen convellere quorundam temeritas publica placita, siquidem decretum illud Marienburgense, quod per regios consiliarios in terra et per nos ex iustis deliberacionibus definitum fuit et postea regia auctoritate confirmatum et publicatum, retractare tamen student Gedanenses, qui et ipsi consultores, censores approbatoresque eius simul cum reliquis extitere. Eoque pervicacia pervenisse feruntur, ut profiteantur se Caesaris[1] pocius consilium imploraturos esse, quam passuros sibi monetam aliam, usum alium ab eo, quam hactenus consuetudo confirmavit. Quum tamen eius abrogandi et novi subrogandi non postremi censores fuerunt, tantopere videlicet tum a se, tum a regio aedicto dissencientes, facta publica coniuracione pro defendendo suo proposito, unde favorem praeoccupaturi suum scribam civitatis miserunt in Poloniam ad diversos optimates, quorum voluntates venantur. Mox eciam, ut fama est, duos alios legaturos ad Regiam Maiestatem, omnem conatum eo vertentes, uti convellent, quae[a] ex communi deliberacione et regia auctoritate in utilitatem publicam statuta sunt.

Quorum conatus si progressum consecutus fuerit, non video, quo maiore incommodo, detrimento ac calamitate et nos et subiectos nostros afficere quis valeat, nisi velit totam regiunculam desolatam penitus. Nam nos cum nostris subditis decreto et regio aedicto paremus, nec inde discedere intendimus. A quorum praescripto qui transiliunt, quantam inaequalitatem in commerciis introducant, grave est experiri, difficile dictu. Principio, quando innovacio tractari cepit, lento pede accessimus: occurrebant etenim difficultates et graves et permultae. Ex quo tardo nostro assensu quanti clamores secuti sint, quantae querelae et insimulaciones subornatae, quid attinet recensere? Credo in invidiam pertracti fuissemus, nisi tentasset Regiae Maiestatis bonitas et consiliariorum prudencia.

Quam ob rem[b] ne diucius obluctaremur, sed ut regiae voluntati cicius obsequeremur, quam nostri nostrorumque commodi racionem haberemus, assensum prebuimus, quem retractare nolumus, quam diu manet in suo proposito Regia Maiestas, cum qua stamus[c], a qua pendemus. Iam perpendet Reverendissima Vestra Paternitas, in quam imparilitatem perducti simus, qui antea ab innovacione refugimus: iam

in ea persistimus. Qui in eam properabant, iam ab ea refugiunt, et ita refugiunt, ut eorum tergiversacio, ut diximus, nobis nequeat non esse irreparabile detrimentum.

Caeterum confido prudenciae Reverendissimae Vestrae Paternitatis, quod ea pro sua aequitate et fraterno in nos amore sic omnia cum proceribus Regni sit temperatura consilio et providencia, quominus nobis nostrum erga Regiam Maiestatem obsequium, erga Regnum Polonicum prompta voluntas damno futura sint et aliorum inobediencia pariat sibi lucrum per nostram obedienciam. Nec nobis solum paritura est calamitatem talis obstinacio, verum quo ultra progressura sit, multi nobiscum experientur.

Cui malo principio velim obsistant consilio et providencia, quicunque ex praeteritis et praesentibus de futuris provident et ex aliorum periculis facti sunt cauciores. Siquidem si nunc permittetur illis, ut non solum placita publica, verum eciam regium aedictum revocent, videat qui sapit, quam posthac viam tentandi maiora apertura sit sibi licencia, laxis habenis volitans, iam eciamdum ausa conspiracionem publicam conflare.

Simplicius aperciusque forte locuti sumus, quam, posset aliquis dicere, nostrae personae conveniret. Verum ubi publica mala praecaventur, non is peccat, cuius pectus apertum est, neglecto aliqua ex parte sui nominis decoro, quam qui racionem propriae condicionis habens celat conducibile consilium. Excusat eciam nostrum apertum sermonem, quod cum fratre loquimur, qualis sermo debet carere omni ambiguitate, tanto minus vafricia et obliquitate. Par ius et amplius Reverendissimae Vestrae Paternitati apud nos permittimus, qua ex parte nihil est periculi, quod vitari debet. Utinam sit aliquid, in quo Reverendissimae Vestrae Paternitati possimus prestare signum benevolenciae: tum certe ostensuri essemus animum vere fraternum. Hactenus nostra fraternitas, quantum ad nos attinet, praeter verba nullum potuit edere fidei testimonium... Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Episcopum Cracoviensem, die quo supra.

a) *sequitur expunctum:* in
b) ob rem *in margine.*
c) *verbum correctum.*
1) *Carolus V.*

*N. 313.*

*E Regio Monte, 21.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christino Kuberski (in ms.* Cuperski), *vexillifero Visnensi,*
*interroganti ei, an equos familiaresque suos ad se revocare sibi liceat et an armatura sua ac se ipso dux hoc tempore carere possit, annutative respondet; pro falconario cum avibus suo usui conductis gratias agit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 146.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 416.*

N. 314.

*Fischhausen, 21.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*pro studio in negotio «advitalitatis» ducissae Dorotheae exhibito gratias agit; de non latine scriptis ad regem litteris se excusat; pro novis gratias agit; cingula Turcica sibi emi petit; de Gedanensibus, Elbingensibus, Braunsbergensibus et aliis mandato regio de moneta non parentibus queritur.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 44-45.*

An Nickell Nibschitz, den XXI Augusti.

Wes du bei ko.mt., unserm gnedigsten hern, unsers freuntlichen lieben gemahels leypgedinges, auch der samayschen handlungen halben aus unsers freundts, des woywoden, rhat ausgericht, lossen wir uns wol gefallen und thuen uns des auch genediglichen gegen deiner person bedancken.

Das wir lateynisch an den koniglichen hoff schreiben und handlen lossen solten, theten wir gerne, wo uns alwegen lewt zu der handt weren, die wir dazu brauchen mochten und die wir auch alzeit unser handel wissen wolten. Sovil uns aber möglich, haben wir uns solcher sprach jderzeit geflissen und wollen es hinfurto auch gern thonn. Und ist an dich derhalben unser gnediges begern, uns bey der cantzley zu entschuldigen.

Der newen zeyttung thun wir uns gnediglichen bedancken und wollet nit zweifeln, es werde dir von herrn Coyenszky[1] unvorhalden bleyben, was wir ime fur newe zewtung mitgeteylet haben.

Es hat uns auch Felix bericht, wie du dich erbotten, uns turkisch gurtell und dergleichen zu kawffen. Derhalben ist abermals unser begern, ob die Turcken etwas seltzam brechten von guerteln und andern, du wollest uns zum besten ein gulden[a] hundert oder auch daruber anlegen; wollen wir dir auf dein schreiben unverzogenlich aussrichten lassen.

Ko.mt., unseren gnedigisten hern und freuntlichen lieben oheym, wollest in unserm namen uf das dienstlichst und freuntlichs bieten, des sein mt. untherthan in Preussen, sowoll als wir, ir koniglich mandat, der muntz halben aussgangen, halten thet. Dan es yst nit zu schreiben noch zu sagen, was jamers und grossen verdurplichen schadens und nachteils sich in unserm furstenthumb der muntz halben entstanden ist, dweil Tantzker, Elbinger, Braunsperger und andere die gleicheit nit, sonder die alte weis und zalung der muentz halten, also das es zu besorgen, sso sein mt. nit ein einsehen hot und mit den Tantzkern und andern vorschafft, das sie gleich uns das mandat halten, es werde goldt, geldt und handel aus unserm hertzogthumb, ehe dann jemant geforcht hette, hinwegkomen. Und dann hetten wir uebel allein seiner mt. mandat uns und unsern armen untherthanen zu verdurplichem schaden gehalten. Aus ko.mt. brief, so wir an sein mt. geschrieben, wurdestu bessern und clerern bericht durch sein maystat oder hern Coyenszzky entpfangen.

Derhalben ist unser gantz genediges bogern, dich in dem deynes gewönlichen, getreuen vleis zu gebrauchen und solchen erschrecklichen han-

del helffen furdern, das den Tantzkern und andern ir furnemen so mutwilliger weys und uns alleyn zu untertruck, auch ko.mt. zu schimpf geschicht, gehindert und geprochen werdt. Das wellen wir gegen deiner person in allen gnaden geren erkennen. Datum Vischausen ut supra.

a) *sequitur expunctum*: od
1) *Ioannes Chojeński.*

*N. 315.*

*Fischhausen, 26. VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de plebe Gedanensi rei monetariae causa tumultuante; de auxilio contra Turcas a magistro Livoniae regi Ferdinando denegato; de eodem magistro milites conscribente ac limites Livoniae et Lithuaniae « vi metiri » volente; de cancellarii regis Portugalliae Gedanum adventu, deinde ad regem Poloniae profectione, in negotio frumenti in Polonia coemendi et in Portugalliam evehendi.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 413-416.*

Haud pridem Maiestas Vestra ex litteris meis intellexit Gedanensium et Elbingensium conatus ob monetarium negocium et alia quaedam coortos. Quos quidem, ut fama didiceram constanti, celeriter ex arduis causis quibusdam Regiae Vestrae Maiestati nunciavi hoc adiuncto: misisse me pro cerciore veritate inquirenda aliquem ex ministris meis ad ea loca. Quae ille rimatus sit, viderit, audiverit, Maiestas Vestra clementer simul et benignis auribus accipiat. Rediit ille in vigiliis divi Bartholomei Apostoli, retulit se veram rem didicisse. Plebem Gedanensium ait multum commotam monetariae rei causa, tumultuanter ad praetorium accurrisse, forte talibus animis iniuria afficiendi Senatum suum. Nam sic stat plebis sentencia: monetam et marcam Pruthenicam augeri nolunt, utcunque hoc velit et iubeat Vestrae Regiae Maiestatis mandatum. Proinde Senatus, saluti suae consulens, se plebi conformavit et monetae veterem usum indulsit.

Quam ob rem nunc Regiae Vestrae Maiestatis auctoritate comprobandam[a] miserunt nunctios suos, qui referant se marcae prioris auctionem ferre non posse, nec velle. Id quod Regia Vestra Maiestas, simul et alia, ex illorum nunciis intelliget. Iam hoc quoque verum comperii: convenisse Thornenses et Elbingenses cum Gedanensibus (ut conspiracionis vocabulum sileam), facturos se, quod fecerint Gedanses. Quod et fama mihi retulerat ante et ego Maiestati Vestrae perscripsi.

Quod ad municiones et moenia militesque conscriptos attinet, hoc didici ex familiari meo: Gedanenses novi nihil aedificare, nisi quod propugnaculum in portu, vulgo an der Mund, bombardulis auxerunt et militibus pro eius loci defensione. Miserunt item Braunspergensibus bombardas aliquot. Elbingenses municionem quandam praeterito anno coepere, quem[z] hoc anno finierunt. Haec sunt, quae per meum familiarem eo locorum pervestigata sunt.

Insuper exploratum habeo nobilem quendam a Rechenberg in Livoniam a Serenissimo Rege Ferdinando missum ad Magistrum[1] pro pecuniario auxilio, simul et milite auxiliario a Magistro impetrando. Ad quam peticionem ita respondit Magister: finitas esse iam inducias cum Moscovitarum Principe[2]; iuxta haec se malis vicinis gravari, quibus arcendis thesaurum suum, qui alioqui non admodum amplus sit, destinarit; hunc non liceat sibi auxilio contra Turcas ferendo expilare, sed missuros se nuncios suos pro longioribus induciis impetrandis. Hac usus excusacione Magister imploratum auxilium contra Turcas denegavit. Quae ut gesta[b] sunt in Livonia, dictus a Rechenberg familiari meo retulit.

Ex aliis fide dignis rescivi Magistrum Livoniae et suos Commendatores aliquot centum lancearios (quales conducere potuit) in Livoniam perduxisse. Quos quidem pedites is, qui mihi haec narravit, apud Lubecam vidit navibus excipi. Causa conscriptorum militum esse dicitur, quod Livonienses statuerunt limites Livoniae et Lithuaniae vi metiri. Quod vera haec esse mihi persuadeo, hoc accedit: certo scio Magistrum graviter compellasse viceregentes Archiepiscopi Rigensis[3], ut respondeant, an contractum, quem bonae memoriae Ioannes Archiepiscopus[4] defunctus compulsus iniit, servaturi sint. Qui hac forma est, ut Archiepiscopus cum omnibus subditis suis Magistrum iuvent[c] et sequantur eum. Cuius contractus observanciam a viceregentibus requisivit Magister et quid facturi sint, scire voluit. Viceregentes rem, ut par erat, in Dominum suum Archiepiscopum reiecerunt.

Quae omnia cum mihi relata sint a fide dignis, presertim quae de pace cum Muscovitis impetranda a Magistro tentantur, pro debita in Maiestatem Vestram observancia[d] et obediencia eidem significare volui. Quae pro sua summa sapiencia, quae sua sunt, non negliget. Ego non intermittam explorare ea, quae Maiestatis Vestrae referre putavero. Explorata autem aut scribam, aut (ubi opus fuerit) ipse Maiestati Vestrae narrabo.

Ultimo hoc quoque Maiestatem Vestram latere nolo. Serenissimus Portugaliae Rex[5] Cancellarium suum misit Gedanum, qui ibi aliquot naves siligine coempto oneravit. Quo negocio confecto, idem Cancellarius, nuncius et orator Serenissimi Portugaliae Regis, Maiestatem Vestram accedet hac, ut percepi, peticione et oracione, ut magnam frumenti summam in Regno et terris Maiestatis Vestrae coemendi potestatem accipiat, quam secum avehere statuit. Ego etsi aequitati proximum ducam, ut Reges inter se mutuis auxiliis et consiliis iuvent, tamen non ignoro Regiam Maiestatem subditorum suorum salutem magni semper fecisse et hodie facere. Non ignorat autem Maiestas Vestra mercatorum artes, quibus tot mercium monopolia invenere: piperis, croci, zinziberis et aliorum eius generis. Neque dubito, quin iam pridem animadverterit Maiestas Vestra incommoda, quae Regno Maiestatis Vestrae hinc accessere, atque rursum, quomodo haec mala sint prescindenda. Quare ne frumenti monopolia inveniantur, Maiestatis quoque Vestrae subditi in eorum frumentis, quod ipsi navibus ducunt, divendendis hac coempcione non incommodentur, nullo Maiestati Vestrae commodo, aut subditis prerogativo accedente. Maiestatem Vestram hac fida mea et obsequiosa admonicione commonefacere volui. De qua Maiestate Vestra sic sentimus, eam publicae rei nunquam defuturam solitaque prudencia et vigilancia utilitatem publicam curaturam, simul

et officiorum, quae aliis Regibus Principibusque viris debet, non immemorem fore.

Commendo me unice Maiestati Vestrae Regiae, Domino meo clementissimo et patri amantissimo honorandissimoque, atque rogo has meas literas boni consulat interque secreciores reponat. Quam Maiestatem Vestram omnium misericordiarum patri ex animo et intimis visceribus commendo. Datum ex arce nostra Vischhausen, 26 Augusti 1529. *In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 26 Augusti.

a) *sequitur expunctum:* q
b) *in ms.* gasta
c) *in ms.* iuvant
d) *correctum ex:* observanciam
z) *sic in ms.*

1) *Valterus a Plettenberg.*
2) *Basilius III Ioannides.*
3) *Thomas Schöning.*
4) *Blankenfeld.*
5) *Ioannes III.*

## *N. 316.*

*Fischhausen, 27.VIII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*rogat, ut epistolam ad regem scriptam vel ipse in persona vel per Ioannem Chojeński regi quam celerrime reddat.*
*(Germanice)*
*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 45v.*

## *N. 317.*

*Fischhausen, 12.IX.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de conventu subditorum suorum, in re monetaria indicto, subitaneo pestis furore interrupto; de cancellario suo eadem peste mortuo; de Dieta Marienburgensi etiam peste impedita; de negotio Ioannis Glaubicz.*
*Cfr. El. XXXIV, N. 154.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 417-419.*

Cupimus Illustrem Vestram Magnificenciam salvam esse.

Si quid unquam, Frater Charissime, scripsimus ad Magnificenciam Vestram commoto animo, hoc tempore praecipue lugubres scribimus. Indixeramus conventum subditorum nostrorum. Convenerant illi et attentis[a] animis in medium consultabant, quonam pacto in tempore remedium pararetur malo rei monetariae, cuius inaequalitate versamur. Gaudebamus nostrorum diligenti studio: videbatur etenim finem allaturum praesenti inaequalitati atque multis aliis incommodis, in gloriam Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, et fortunam meliorem

Prussiae. Caeterum, quid accidit praeter opinionem? Quae lingua, qui calamus sufficienter exprimet inauditam pestilenciam subito incidentem, omnia perturbantem, non secus ac oves tuto pascentes dissipant, lacerant, discerpant[z] famelici lupi ex insidiis irruentes!

Relictum est ergo imperfectum opus inchoatum, quoniam perturbantur omnino coacta Comicia. Alius metu concutitur, alius dilabitur, alius correptus lue domum portatur et intra paucas horas moritur. Sic e numero mortalium sublatus est hesterno die Cancellarius[1] noster, cuius animam in aeterna tabernacula recipere dignetur Christus Dominus Deus noster. Sudorem continuum movet morbus virus[z] simul et animam exhalantem, qui XXIIII horarum spacium duraverit, ille vixerit. Coepit haec lues inaudita primum grassari in Anglia, deinde peragravit maritimas civitates, nuper ad Gedanenses, nunc in civitatem nostram Regium Montem pervenit. Et ut nobis certo affatur, bachatur et in Marienburgensi. Meruerunt has plagas peccata nostra, quae nullis monitis corrigimus. Medicus noster, vir apprime gnarus rerum phisicarum, iussu nostro composuit extemporale iudicium et antidotum. Illud Magnificenciae Vestrae mittimus duplici nomine: tum ut habeat Magnificencia Vestra pharmacum ad fortuitos casus, tum ut pestem inauditam, cuius novitate medicina vincitur, referat ad inquisicionem hominum doctorum, quo multorum indagacione tandem inquiratur peculiaris genus morbi. Inquiret autem ille noster diligencius per ocium, quando ad libros suos redierit. Mittemus tum et illud quoque. Labor praesens est paucarum horarum.

Hac horribili peste impeditur[b] indicta Dieta Marienburgensis. Qua de re scripsimus Reverendo Patri Episcopo Warmiensi[2], ut prospiceret in commune et consultaret cum reliquis regiis consiliariis huius terrae Prussiae, quo Dieta illa differretur in longius, nempe in spacium trium habdomodarum[z]. Interim speraremus per divinam commiseracionem amotum iri laetale virus, verum nihildum nobis responsum est, expectamus autem in brevi responsum futurum. Recenseamus alia.

N. Glaubitz, olim famulus Illustris Magnificenciae Vestrae, matrimonio copulavit sibi viduam Sebastiani Foyt, civis nostri, peciitque, ut concessione nostra sibi liceret intrare in bona foeminae, quae indixeramus iustissima de causa. Sic etenim in nos peccavit mox a morte mariti, sic contempsit auctoritatem nostram, ut nisi severitatem adhibuissemus in terrorem aliorum, periculum secuturum fuisset auctoritatis nostrae. Verum quando ille tantopere precabatur, quando intelleximus Illustrem Magnificenciam Vestram, cui nihil denegare debemus, tantopere desiderare prodesse novo marito, fleximus animum et locum dedimus peticioni. Sciat itaque Glaubicius, quicquid bonorum accipit, id sibi donari ab Illustri Magnificencia Vestra. Sciat foemina, quicquid recipiat, id se accipere a suo marito. Quae res quum plenius ad Magnificenciam Vestram relata sit, ut non dubitamus, paucioribus verbis eget... Datum ex Vischhausen, XII[c] die Septembris 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christopherum Schidlowitz, XII Septembris.

a) *verbum correctum.*
b) *sequitur expunctum:* impeditur
c) *correctum ex: XIII*

z) *sic in ms.*
1) *Fridericus Fischer.*
2) *Mauritius Ferber.*

N. 318.

Fischhausen, 12.IX.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Tomicki episcopo, Christophoro Szydłowiecki castellano, Andreae Tęczyński palatino Cracoviensibus, et consulibus civitatis Cracoviensis*
*benigne respondet ad litteras, quibus intercedebant pro Erasmo Karłowicz (in ms.* Karlowitz), *cive Cracoviensi, et sorore eius Anna, ut relicta bona defuncti Sebastiani Foyt, civis Regiomontani, cuius se heredes profitentur, in integro, sine ulla divisione vel alienatione permanere possint.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 416-417.*

N. 319.

Corimhoff, 14.IX.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Thomae Schöning, archiepiscopo Rigensi,*
*de se ipso peste correpto et nunc convalescente nuntiat et rogat, ut archiepiscopus aliquot dies Cleipodiae maneat et nuntium suum exspectet.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 419-420.*

Reverendissimam Vestram Paternitatem cupimus salvam esse et a malis omnibus custodiri his periculosis temporibus, Domine et Amice Reverendissime.

Quae mutuo inter nos agenda et confirmanda sunt, probe novimus, nec quicquam eramus in iis impedimenti et morae admissuri. Verum qui omnia suo nutu temperat humanaque consilia[a] mutat ac remutat, prout suae divinae prudenciae placet, is et nobis nostrum propositum aliquantisper[b] suspendit. Nam tetigit nos manus Domini, correptos terribili illo morbo, per quem nunc peccata nostra castigantur, ut resipiscamus et discamus, quod sumus bullae et vappae. Sudamus horas viginti quattuor cum indicibili aestu, quod si non divina bonitas refrigerium imposuisset, diuciore sudore animam una cum pestilenti lue efflassemus. Respiravimus, laus Deo. Sed decumbimus adhuc imbecilles in lecto, pristinam vim recolligentes.

Petimus itaque, Reverendissima Vestra Paternitas dies aliquot, nempe duos aut tres, nobis concedere dignetur ad respirandum. Deinde omnia expediemus studiose et ad Reverendissimam Vestram Paternitatem mittemus per proprium nuncium. Interim dum nos mittemus, Reverendissima Vestra Paternitas consedea' et maneat in arce nostra Memel. Oramus, Dominus Deus Vestram Reverendissimam Paternitatem misericorditer tueatur et ad suos foeliciter perducat. Datum in rure in loco cognomento Corimhoff, die ut supra, anno 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Thomam Archiepiscopum Rigensem, XIIII Septembris.

a) *sequitur expunctum:* temperat
b) *in ms.* aliquantisque.

## N. 320.

*«E rure», 21.IX.1529*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de Comitiis Pruthenis ob pestem interruptis; de episcopo Pomesaniensi et cancellario ducis peste mortuis; de Conventu Marienburgensi etiam peste impedito; de inaequalitate monetae tollenda; de magistro Livoniae se magis ac magis armante et contra Ducatum Prussiae aliquid moliente; de legatis ab eodem magistro ad magnum ducem Moscoviae missis.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 420-426.*

Si quid est in me prompti obsequii et benevolae voluntatis, id totum dedico Regiae Vestrae Maiestati, peroptans eam sanam, salvam et integram esse.

Indicavi nonnulla superioribus diebus Regiae Vestrae Maiestati ad publicum statum huius Borussiae pertinencia; quae talia sunt, ut inicio neglecta possent postea facta via vi audacius perbachari et rectiora consilia negligere. Agit autem sic gracias Regia Vestra Maiestas, perinde[a] ac ex officio et non pocius ex debita fide veniat haec mea cura. Certe quicquid studeo industria, vigilancia, modo tale quippiam in[b] me sit, pro Regiae Vestrae Maiestatis Republica, qua salva non potest nobiscum non bene agi, in medium afferre possum. Id pro debito, quoad vivam, fideliter praestabo. Verum[c] quod debiti est, illud ipsum pro sua humanitate benevolenciae adscribit Regia Vestra Maiestas. Sic de me censeat, quisquis ex verbis facta putabis diiudicanda, me et stare et cadere velle cum Regia Vestra Celsitudine. Quem animum quum profitear sine fuco, qui fieri posset, ut aliquid praetermittam non indicare, unde putem Regno Polonico et avunculo, hoc est patri[d] charissimo, aliquid vel commodi vel detrimenti accessurum.

Dicam propiora. Die Dominica post Aegidii indixeram publica Comicia ad consultandum de negociis arduis, de difficultatibus communibus, ut quae nunc detrimentosa habentur in Borussia hac, communibus consiliis in melius commutarentur, in gloriam laudemque Regiae Vestrae Maiestatis, in incrementum tocius Reipublicae. Convenerant subditi mei promptis animis, tractantes articulatim iis de rebus, de quibus Conventum Marienburgensem indixerat Regia Vestra Maiestas. Progrediebantur cuncta ordinatim spe bona. Sed o vanas spes mortalium! Vix abeunt dies tres et ex improviso ingruit pestilentissima lues ignota medicinae. Curriculo horarum XXIIII per continuum sudorem vivendi finem afferens, aut vitam relinquens morti parum dissimilem. Dissipatur coactus coetus, haud secus quam solent pavida turba columbae dispergi, vim subito facientibus rapacibus vulturibus. Abiit alius domum tristis e senaculo; effertur alius a famulis, nequiens pedibus insistere; hic moritur, vincit ille semimortuus.

Nihil unquam auditum et expertum est virulencius. Sic in coelum abiit Reverendus Pater Episcopus Pomezaniensis[1], sic Cancellarius[2] meus miseriam humanam finivit. Pridie ante irrupcionem concesseram Vishausen, qua arce quinque miliaribus a Konigsperga distante uxor mea[3] consederat expectans, si quam horam pariendi divinus favor afflaret. Brevi aderam, venit tristis morbi nuncius et post nuncium ipse morbus non tardo gressu. Perduravi tamen. Deinde perbachante sae-

vius pestilenti furore in aulicam eciam familiam, fugi breve spacium et iterum brevius. Verum quo fugimus a facie eius, qui ubique praesens est, omnia implet, omnia intuetur, qui punire potest peccata nostra, quando vult et ubi vult?

Aberam miliaria quattuor a Vischausen. Intravi cum uxore gravida aediculam rusticam, fuerat dies praesentis mensis decimus quintus; nocte sequenti adest puniens manus Domini et coquit me viginti quattuor horas aestus Ethna fervencior; vexavit et aestu molestior somnus, quo concesso[e], aut presentissima mors, aut mortem furor antecedens contrahitur. Totum illud tempus continua pugna[f] extitit vitae et mortis, nunc haec, nunc illa videbatur superior. Verum clementissimus Deus, qui bonus est in omnibus suis, respexit humiles meas et meorum preces et aestum paulatim post XXIIII horas mitigavit refrigerio misericordiae suae. Ita nunc videor mihi restitutus, nisi quod aerem adhunc vito.

Haec ex digressione breviter narrare libuit Regi, Domino et avunculo, id est patri charissimo. Cui scio omnia mea curae esse. Hac subita perturbacione impeditur indictus publicus Conventus Marienburgensis, quoniam et illic perhibetur grassari pestilens virus, a Danciscanis illuc progressa. Verum hortor, moneo, precor, Regia Vestra Maiestas pro sua bonitate, prudencia clemenciaque dignetur alium Conventum indicere, quam primum furiosa lues divina cohibicione ceperit mitigari, quod speramus brevi futurum, nam mira clemencia temperat coelestis misericordia gravissimam punicionem, equidem finem facit ambitus solis. Deinde conceditur respiracio, pocius vero[g] renascencia et, ut fertur, lapso mense alio commigrat.

Iterum praemoneo, Regia Vestra Maiestas tollat omnem moram et succurrat innata bonitate vexatae Borussiae hac inaequalitate monetae et contemptu regii mandati, calamitate bellicis incommodis nil cedente. Sic clamant, sic testantur utrumque experti. Monet publica salus, videt Regia Vestra Maiestas. Curam subditorum capessant Rerumpublicarum rectores, ne clamor pauperum, viduarum, orphanorum exaudiatur in punicionem capitum.

Insuper et illud haud ignorare volo Regiam Vestram Maiestatem, quod in Comiciis meis certa exploracione didici Magistrum Livoniae[4] cottidie magis ac magis sese armare et nunc habere conductos lancearios milites aliquot centum, pauciores tamen quam conducere instituit, quod haberi non poterant maiores copiae ob miliciam ubique terrarum conscriptam. Iussit et subiectos suos esse in procinctu bellico, ut ad primum nunctium quisque sequatur suum ducem citra moram: quo tendit consilium, nescitur. Inquirenti mihi diligenter duplex causa narratur.

Una proponit terminos et fines inter Livoniam et Magnum Ducatum Lithuaniae disterminandos, ut, si conscripcio finium minus cederet e sentencia ipsius Magistri, in promptu haberet copias militares, quarum armata manu rem violenter gereret. Haec causa a Regia Vestra Maiestate atque proceribus Magni Ducatus Lithuaniae minime contemnenda est. Sunt enim vires Magistri satis validae. Vir autem circumspectus in parvis futurorum eventum preponderet; tantum abest, ut magnis providenciam non accomodet, ne quid accidat, ut cum improvidis dicat: non putaram. Ego vero Magno Ducatui Lithuaniae optime consultum et praevisum ex animo cupio.

Altera facit Magistrum cum suis sodalibus Ordinis Teutonici timere

a me, ne quid tentem subita et improvisa aggressione. Vana, ut me Deus amet, formido: quasi ego mundum ubique commotum amplius velim perturbare et non pocius optem commota in tranquillitatem componi atque cum omnibus, quatenus per me stat, pacifice vivere. Quicquid sit, alunt aliquid illius arma sumptuosa et petita passim auxilia. Retulit mihi archana narracione nemini communicanda, praeterquam Regiae Vestrae Maiestati et cui illa communicata velit, Archiepiscopus Rigensis[5], his diebus hac transiens, sese a Magistro Livoniae ex foedere antecessoris sui Archiepiscopi[6] pacto cum Livoniensibus, ad socia arma vocari pro totis suis viribus. Verum se dubitare in re perplexa; contra quem vis, inquit, paratur, ignoro. Ingrati fuerit opem ferre adversum Lithuaniam, sub cuius Magnorum[h] Ducum tutela patrocinioque consistit. Nam[i] ab illis magna ex parte fundatus est in prophanis bonis Archiepiscopatus Rigensis. Aliis vero vicinis vim inferre, nulla impellente iniuria, non hominis est, praesertim christiani, sed leonis et ursi. At rescindere foedus pactum antecessoris et ab eo nolle stare, illud ultro accersit inimiciciam eius, quocum foedus habere recuses. Consuluit itaque me, quomodo se sine culpa gereret in praesenti difficultate, ante et retro incommoda minanti. Respondi illud non esse mearum virium, meae prudenciae tam exiguae, in negocio adeo grandi praescribere consilium, quod sequeretur. Verum hoc animadverteret, quam viam aequitatis racio et publicae salutis cura ostenderet, eam ingrederetur. Annuit.

Inter haec meis retulerunt illius praecipui officiales viri, missos esse a Magistro secretarium unum nomine, si non fallit memoria, Laurencium Achtenig, missum comitante uno quodam magni nominis viro Pockhorst, [j]qui antea gessit magistratum iudicis curialis[k], ad Magnum Ducem Moscobitarum[7] causa prorogandi inducias in annos quindecim, quod iterum arguit, rebus foris positis in tuto, propositum domi aliquid tentandi. Quam suspicionem adauget, quod nuper a Serenissimo Rege Ferdinando legatus in Livoniam fuit quidam Rechenbergen, habens commissa ita archana, quae omnium scrutacionem fallerent.

Haec Regia Vestra Maiestas, magna simul et parva, verisimilia et alieniora, cum suis proceribus perpendat, nec cuiquam communicet pleno rimarum, qui[z] commissa facile efflet, quominus mea aliorumque fides, a parte mea stancium, periclitetur et in caeteris religio silencii a me parum custodiri videatur. Tantum de iis aliisque permultis mallem coram cum Regia Vestra Maiestate colloqui, quam cartulis secreta committere, et fortasse conferam me aliquando ad colloquium Regiae Vestrae Maiestatis, nactus ad hoc ocium et oportunitatem. Videtur etenim id cura publica postulare. In primis autem peto, Regia Vestra Maiestas boni consulere dignetur praesentis epistolae perplexitatem, confusum ordinem et incompositam elocucionem. Scribo a casa rusticana, in qua me cum parva manu famulicii mei continere non possum et a qua sine periculo salutis recens recuperatae[l] recedere non[m] datur, et quos habeo mecum paucissimos a secretis, sic consternati sunt animo, ut mentem in scribendo non habeant, quoniam nunc ille, nunc illa a familia incipit sudare in praesentem vitae iacturam. Et iam iam corripitur charissima[n] uxor mea gravido ventre sudifico malo. Non sinam claudi epistolam: peragat prius suum cursum periodus, quo videam, qui futurus sit exitus.

Intercessit tempus. Abierunt horae viginti quattuor, salva res est.

In dubia pugna vicit vita. Auxilio Dei, sic ad inferos ducentis et reducentis, sit ille finis et status turbati sermonis. Inspecta inaequalitate rei monetariae, pro sua clemencia succurrat Regia Vestra Maiestas consilio, prudencia, celeritate, fessis rebus continue magis atque magis in deterius prolabentibus. Produxit tellus coelesti favore uberem proventum, et tamen in copia rerum ingruit miranda caritas in emendis et vendendis, non aliunde, quam quod ipse et subditi mei paremus[o] edicto regio, quod alii respuunt. Bellum non inferret quid nocencius. Nam superioribus annis, quum Mars hic perbacharetur ferro et incendiis, erant omnia in foro precii[p] tollerabilioris. Clamant pauperes, clamant viduae, clamant orphani, clamant magni et parvi. Non est iste clamor surdis auribus praetereundus, audiet coelum, quando nos obaudierimus. Afferat remedium Regia Vestra Maiestas indictis quam primum publicis Comiciis, quibus curentur turbata. Mora quaeque noxia erit. Videntur fortasse verba haec prolixa et acria, verum difficultas, quam patimur, longe prolixior et acrior est. Exaudiat me pro populo clamantem Regia Vestra Maiestas. Quam Dominus Deus quam diutissime incolumem conservet. Datum e rure in medio sudancium, XXI die Septembris anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, XXI Septembris.

a) *sequitur expunctum:* quasi
b) *supra lineam.*
c) *pro expuncto:* Unde *suprascriptum.*
d) *in ms.* patre
e) *sequitur expunctum:* aut
f) *sequitur expunctum:* fuit
g) *correctum ex:* verbo
h) *sequitur expunctum:* Ducatu
i) *sequitur expunctum:* in
j)-k) *in margine.*
l) *sequitur expunctum:* redi
m) *sequitur expunctum:* licet
n) *sequitur expunctum:* coniu
o) *in ms.* peremus
p) *in ms.* preci
z) *sic in ms.*
1) *Erhardus Queis.*
2) *Fridericus Fischer.*
3) *Dorothea.*
4) *Valterus a Plettenberg.*
5) *Thomas Schöning.*
6) *Ioannes Blankenfeld.*
7) *Basilius III Ioannides.*

## *N. 321.*

*« E rure », 24.IX.1529.*

*Dorothea dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*de recuperata regis valetudine gaudet; de marito suo, duce Alberto, peste aegrotante et post 24 horas sanitati restituto, necnon de se ipsa eadem peste correpta et nunc convalescente narrat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 426-429.*

Quam foelicitatem precari solet percharae matri pia filia, quod obsequium dignitate posterior aliqua merito impendere debet matronae regia sublimitate praeeminenti. Alterum peropto ex imo pectore; alterum volens praesto Bonae Polonorum Reginae, multis modis bonae, matri post eam, in cuius utero nutrita sum, charissimae.

Regina dignissima pientissimaque mater.

Si inter gradus illos nomine arctissimos matris et filiae mutuo se

comitantur doloris et gaudii affectus, habet utraque, quo altera alteram ex se meciatur. Perlata huc fama de adversa valetudine Serenissimi Potentissimique Regis Sigismundi, non solum mihi charissimi, quod vice patris est, verum eciam quod sciam ipsum a parente meo, Friedericho Danorum Rege, plurimum amari, gravi dolore afficiebar, tum ipsius, tum Bonae Reginae, hoc est matris ex animo mihi dilectae, nomine. Facie non est mihi cognita Regia Vestra Maiestas, verum ex descripcione certissimorum narratorum formavi mihi in animo certam effigiem mentis, non corporis, sed animi oculis conspectae. Eam matrem affinxi ex re ipsa astare[a] ad lectum valetudinarii tristem, matronali modestia consolari dilectissimum suum coniugem, adhibere verba rei accommodata, ministrare, sudorem abstergere, porrigere suis manibus paratum iusculum, haustulum propinare, caput aegrotantis suis brachiolis suffulcire, caetera minima non negligere, nunc secedere in angulum et ardenter flere et divinam opem implorare, nunc redire ad infirmum, spem vultu simulare, premere alto corde dolorem, deinde respirante ad salutem meliorem, palmas utrasque coelo tollere, religiosas preces indicere, gracias persolvere coelesti commiseratori.

Movebar, mater pientissima, utraque ex parte diversis animi affectionibus, quousque perdurabat fama malae valetudinis, fueram tota in luctu et indictas passim publicas precaciones pro regia salute a coniuge meo dulcissimo charissimoque suppliciter obivi, donec afferebatur nuncius recuperatae sanitatis. Tum tristia vertebantur in laeta, luctus in gaudia. Atque in adversis ac tristibus Deo, auctori vitae, supplices preces effudimus, quatenus brevitas epistolae permisit.

Absolvi animum filiae erga matrem, nunc rogo, non gravetur mater vicissim audire duram fortunam filiae, nec egre ferat aures accomodare tristibus et post tristia fontem porrigere laecioribus. Paucis ante diebus immisit se in hanc urbem subito et ex improviso ingressu nunquam antea auditum pestilens virus. Cuius perbachacione magis quam ullo belli furore populus consternabatur. Nam sudore pestilenti curriculo viginti quattuor horarum mortem afferebat lues, aut vitam relinquebat morti similimam. Facunda essem, si velim fugam, mortes, e mortibus reditus, querelas, lamentaciones exponere. Aberam cum charissimo coniuge spacio quinque miliarum in loco quieto, quo me longe antea contuli, ut minori in strepitum in lucem ederem[c] foetum, quem divina benignitate in alvo gesto. Pervenit ad nos virus, non lento pede corripiebatur familia. Nam fugere suaserunt physici contagiosum morbum, fugimus pauci immo. At erat in medio fugiencium pestilens virus, ipsos fugientes prosternens. Secundo a fuga die sub vesperam intravimus casam rusticam, mane ultra progressuri ad arcem aliquam capacem. Sed aliter visum fuit omnipotenti Deo, peccata nostra hoc modo punienti, paterne tamen, ut commutemur in melius. Ecce horis paucis post medium noctis incipit aestuare ad latus meum Dominus et coniunx meus, oculis mihi charior. Surgo, operimentis tego contra afflatum aeris et mox familiam excito. Quid dicam, quid referam. Verba et ordo sermonis confunduntur, quoniam confusa eram tota. Dum perdurat aestus, increscens cum tempore, coquitur facies aestuantis ad colorem porciunculae carneae ad pruinas verae. O me miseram! Quam volens, quam expetens, malum illud a charissimo coniuge in me transposuissem, si quemadmodum onera ab humeris transferuntur, morbi commutarentur. Decem mortes oppetiissem, ut ille salvus man-

sisset. Nunc scio, quid sit coniugium, quam sancta res, quam sanctis vinculis[d] casti amoris ab institutore Deo copulata. Quod potui, feci: ingemui, opplodi, ad divinas aures flevi. Verum post lachrymas obrigui et lapis ferme pro dolore nihil amplius senciens, tamque abfuit oculis meis humor, qui nunquam charissimo egroto per totum corpus non fluebat. Nec interim abstinebat a famulicio nostro, sed promiscue nunc in masculum, nunc in foemineum sexum perbachans. In quo accessit hoc malum, quod non erat locus, in quo miseri reciperentur. Confuse iacebant ante cubiculum nostrum perbreve et humile[e], more pecudum in stabulis temere iacencium. Quae res me graviter cruciabat animo. Succurrebat nativitas Servatoris nostri Iesu Christi, cui nato non patebat locus in diversorio, sed reclinabatur in[f] praesepe. Ea recordacio animum meum in dolore recreabat non leviter. Currit tarde salutis inicium, periodus viginti quattuor horarum, totidem annis mihi longior. Qui periodus ubi redierat, redditur mihi meus Dominus, consors vitae. Sed talis, qualem gravissimum certamen e dubia vicissitudine mortis et vitae superstitem reliquit.

Interlabitur dies unus, invasit et me dirus sudor, nil dicam, perturbacionis magnitudinem pono in tacita coniectura Maiestatis Vestrae Regiae. Durum fuit periclitare de vita et mortis memoria acerba erat. Excedebat animum cura fructus ventris mei, ne quid adversi accideret. Cumprimis dolorem auxit dimidium animae meae, charissimus Dominus coniunx meus, quem videbam ante me stare vigilantem, moestum, consolantem, ipsum adhuc egentem consolacione et refocillacione virium. Transeunt demum viginti quattuor horae, hoc est viginti quattuor anni vitae mortisque conscii, quoniam ambigua extitit pugna. Post hoc senciebam recreaciunculam, deinde paulatim a morte regeneracionem. Sic divina bonitas sceleribus nostris offensa ulcionem temperavit refrigerio suae commiseracionis. Vivimus clemencia largitoris vitae et nullus e toto numero periit. Unde certis argumentis agnoscimus omnipotentis Dei, quando irascitur, propicium favorem, modo ex imo pectore ipsius misericordiam imploremus certo proposito corrigendi[z] vitae in melius.

Quod non ideo tantum scribo, uti materna commiseracione in adversis Regia Vestra Maiestas erga me tangatur, suam filiam, et finitis malis mihi gratuletur in laecioribus. Verum multo magis, quo mecum gracias persolvat coelesti benignitati, a qua tam potenter servati sumus quotquot e faucibus mortis erepti sumus. Pia Ecclesiae institucione celebramus quotannis martyrum victorias, qui contra sanguinarios tyrannos, inspirante Christo vires, triumpharunt. Agemus et nos dies festos sub Christi vexillis, facti victores horrendi morbi, quovis tyranno truculencioris. Cantemus gloriose, gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes in honorem omnipotentis Servatoris. Cuius commiseracione Rex noster servatus est et nos ex inferis reducti in vitam. Et ideo gracias persolvunt omnes fideles et collaudant filium Dei. Sit fas filiae, adhuc a morbo imbecillae, haec prolixius effudisse coram Bona Regina, matre dilectissima, quam suppliciter peto, coelestis clemencia dignetur ab hoc pestifero sudore ac a quavis adversitate mentis et corporis quam diutissime custodire incolumem, una cum Serenissimo Rege coniuge dilectisque liberis regiis, et aspirare Sigismundo foelices successus in seram usque aetatem, in mox futura sublimacione capessendi Magni Ducatis Lithuaniae eumque principa-

tum adaugere accessione sceptri Polonici hereditario ferme honore. Datum e rure in medio decumbencium sudanciumque, die XXIIII Septembris anno Domini 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Reginam Poloniae Bonam nomine Dorotheae Principis et Ducis Prussiae, XXIIII Septembris.

a) *verbum correctum.*
b) *in ms.* Monebar
c) *sequitur expunctum:* foedum
d) *in ms.* vinculus
e) *in ms.* humle
f) *sequitur expunctum:* diversorio
z) *sic in ms.*

## *N. 322.*

*E Regio Monte, 2.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*de regis et reginae cum liberis bona valetudine gaudet; nuntiat de magistro Livoniae magnas vires militares colligente; rogat, ut duellum inter Gregorium Ościkowicz et Stanislaum Radziwiłł futurum in humaniorem compositionem mutare studeat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 433-434.*

Obvium animi studium et quicquid boni possumus, expositum sit Amplissimae Magnificentiae Vestrae, quam cupimus esse salvam.

Gratum ex animi nostri sententia nunctium nobis attulerunt litterae Amplitudinis Vestrae. Quid enim potuit nunctiari laecius gratiusque, quam salvum esse Regem, et eum Regem, qui nobis non sola regia sublimitate imperitet, verum etiam partes avunculi sic exprimit, et illius paterna charitas erga nos luceat ante avunculi affectus? Merito igitur nobis duplici[a] honore colitur, cum quod in eo agnoscimus[b] genus maternum, tum quod ex avunculo tam benevolum patrem experimur. Accedit ad gratiam litterarum Magnificentiae Vestrae narratio illa multo iucundissima de sanitate Bonae Reginae, multis modis bonae, et integra valetudo regiorum pignorum.

Age verum, quam laetum fuit audire designatum tempus, quo Sigismundus Augustus unanimi procerum consensu in cathedram Magni Ducis[c] Lithuaniae extolleretur. Fatiat Deus, ut coeptum hoc futurum inaugurando bonum, faustum, foelix fortunatumque sit et inclito Magno Ducatui prospero incremento. Optamus precamurque, quo largitor omnium bonorum Deus inaugurationem illam non multo post accumulet sceptro foelicissimi Regni Polonici. Hoc ipsum Amplissima Magnificentia Vestra pro sua industria et sapientia strenue promovere dignetur, unice rogamus.

Praeterea aliud est, quod pro iure viciniae[d], cuius observantiam erga Magnum Ducatum Lithuaniae cumprimis custodire studemus, Amplissimam Magnificentiam Vestram scire[e] volumus. Colligit Magister[f] Livoniae[1] magnas vires militares tum ab internis, tum ab externis. In quod propositum, non satis hactenus explorare potuimus. Duae tamen causae constanter referuntur. Altera, quod intendat inter Livoniam et Lithuaniam determinare fines, quos describendo, si non pro voto procederent ipsi termini, haberet in promptu bellicam manum, qua rem gereret ut luberet. Quae fama, non omnino temerariis[g] orta narratio-

nibus, minime vilipendenda[h] est proceribus Magni Ducatus Lithuaniae. Causa altera venit a vano metu. Dicitur etenim metuere Magister cum suis fratribus Teutonicis[i], ne quam vim ipsi ex improviso inferamus, pro qua repellenda providentiae esse censeat vim contra vim parare, me hercle falso metu. Nos neminem laedemus iniuria, sed illatam pro viribus incumbemus propulsare.

Insuper fertur ad nos nuntium, non satis gratum auditu, de singulari certamine futuro duorum praeclarorum virorum, Gregorii Hostzikovitz, regii incisoris[j] et praegustatoris, et Stanislai Radzivil, palatinidis Wilnensis etc. Pro amore, quem habemus erga eximios illos viros et Magnum Ducatum Lithuaniae, ante omnia cupimus duellum illud per Inclitam Vestram Magnificentiam, aut alterius cuiuspiam providi et boni viri, in humaniorem compositionem mutari[k]. Huius mei voti non est simplex causa. Primum, quod ex huiusmodi concursionibus, magis bestiarum quam hominum, nascuntur seminaria discordiarum in detrimentum rerum publicarum. Quod, dicimus, multis in locis[l] experientia comprobavit. Decet autem volentes Rempublicam salvam esse omnem occasionem detrimenti consilio, studio, opera avertere[m]. Altera, quod talis pugna minime locum habet inter christianos. Quod autem tale est, nullo modo permitti debet inter professores sanctae pietatis. Sic etenim violatur ius divinum et incurritur in iram Dei omnipotentis. Ergo[n] igitur interponet auctoritatem suam Magnifica Magnificentia Vestra, ne quid ilii iratis animis intentant, vergat aliquando in perniciem publici[o] status. Hoc decebit Amplissimam Vestram Magnificentiam, hoc hortatur christiana professio... Datum Konigispergk die quo supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Albertum Gastoldum, Palatinum Wilnensem[p], die quo supra.

a) *correctum ex:* dupliti, *sequitur expunctum:* nomine
b) *correctum ex:* agnostimus
c) *correctum ex:* Dutis
d) *correctum ex:* vitiniae
e) *correctum ex:* stire
f) *sequitur expunctum:* Lithua
g) *in ms.* temeris
h) *in ms.* vilipenda
i) *correctum ex:* Teutonitis
j) *correctum ex:* intisoris
k) *correctum ex:* mutare
l) *correctum ex:* lotis
m) *in ms.* averdere
n) *correctum (erronee) ex:* Rogo
o) *correctum ex:* publiti
p) *in ms.* Palatino Wilnensi
1) *Valterus a Plettenberg.*

## *N. 323.*

*E Regio Monte, 2.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Vilnensi [Ioanni e ducibus Lithuaniae]*
*rogat, ut episcopus Vilnensis auctoritatem suam interponat, ut Gregorius Gregorii Ościkowicz, incisor Lithuaniae, et Stanislaus Radziwiłł palatinides Vilnensis, non armis in duello, sed legibus in iudicio controversiam, inter eos intercedentem, componant ac dirimant.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 429-431.*

Concurrent isthic in armis duo insignes viri: Gregorius Gregorii Hostzikovitz, Sacrae Regiae Maiestatis in Lithuania[a] incisor, et Stanislaus Ratzivil, palatinides Wilnensis etc. Mallemus, omni officio et pietate studeret pocius alter alterum precurrere, quod demum esset in virilibus[b] armis concurrere ac egregios animos veraeque nobilitatis

argumenta edere. Non etenim corporis, sed animi viribus generosi viri comprobantur. Quod ni esset, quo quisque imprudencius atque furiosius rueret, hoc esset generosior. Verum quid illos vestros nostros ad singulare certamen impellit? Impetus animorum, malus consultor ira, mox adest sapiens monitor, prestat componere fluctus. Egregia, me hercle, causa! Vir christianus offendit christianum, non habetur alia racio tollendi dissidium quam in dextera armata, quasi semper arguat iusta accusacio eum, qui in duello succumbat, ac non pocius in tali congressu quandoque committatur ex una iniuria altera[c], cadente[d] videlicet eo, cui illata fuit vis ab eo, qui prior intulit. Tales concursus videntur nati ab insanis et ferocibus bestiis. Sic offensus leo figit ungues in leonem; sic ursus sevit in ursum; sic in aprum acuit dentes iratus aper. At in homine, praesertim magno animo, quasi[e] se praestare caeteros volunt nobiles. Debent racioni parere feroces motus. Quis[f] hunc fortem pronunciabit, qui in tranquillo mari optet tempestatem? At parum dissimilis erit illorum duorum congressio. In tranquillo manere possunt cum laude, in tempestatem sese non dabunt nisi cum ignominia et periculo vitae non necessario. At vir fortis facile ignoscit; ut promptus est dextra et animo, ita facile cedit iniuriae; quando vitari nequeunt duri casus, quando requirit patria, quando parentes, quando liberi, tum sese exerit vera fortitudo. Ad hunc modum decernunt prudentem a temerario, fortem a feroce litterae divinae et humanae, quarum cum sit Reverendissima Vestra Paternitas non vulgariter perita, arrogantis fuerit plura de iis disserere.

Quam ob rem hortamur atque oramus, Reverenda Vestra Paternitas pro singulari sua humanitate ac prudencia auctoritatem suam cum caeteris probis peritisque viris interponat, pugnam dirimat, ad hoc nostrum consilium, si libet, allegat. Sunt fora, sunt iudicia, sunt leges, sunt tribunalia. Apud illa decernatur, si quid alter in alterum secus ac oportuit perpetravit. In hoc Reverendissima Vestra Paternitas cum humanitatis, tum pietatis officium prestabit. Sin audire noluerint illi, quod haud arbitramur, et bestiis quam hominibus esse similiores malint, non deerunt equi, arma, galeae, gladii, conti, lanceae. Nos utrique misimus equum instructum rogati, sed hortamur utrumque ad rectiora. Illud ipsum copiosius faciat Reverendissima Vestra Paternitas. Quam Pater omnipotens quam diutissime incolumem conservare dignetur. Datum Konigisbergii, 2 die Octobris 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Episcopum Wilnensem, 2 Octobris.

a) *in ms.* Lithuonia
b) *pro verbo expuncto suprascriptum.*
c) *sequitur expunctum:* cadende
d) *sequitur expunctum:* eo
e) *verbum correctum.*
f) *in ms.* quus

*N. 324.*

*E Regio Monte, 2.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Radziwiłł, palatinidi Vilnensi,*
*equum petitum mittit, sed a duello cum* « regiae mensae praegustatore et incisore » [*Gregorio Ościkowicz*] *eum dehortatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 432.*

*N. 325.*

*E Regio Monte, 2.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*incisori regio in Lithuania [Gregorio Ościkowicz]*
*pro equo asiano sibi dono misso gratias agit; equum desideratum, sed sine armatura, ei mittit, duellum tamen cum* « Generoso Domino Stanislao » [*Radziwiłł*] *ei dissuadet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 431-432.*

*N. 326.*

*E Regio Monte, 3.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Gregorio Meck, consuli Vilnensi,*
*10 fabros et 100 operarios Lithuanos sibi suppeditari et Cleipodiam mittere flagitat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 37-38.*

*N. 327.*

*E Regio Monte, 3.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de ornatu militari Tartarico nondum accepto; de novis Comitiis ad tractandam rem monetariam indicendis; de damnis subditis suis ex Gedanensium et Elbingensium in re monetaria licentia manantibus.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 45v-46.*

An Nickell Nibschietz denn 3 Octobris.

Dein schreiben, des datum sthet Bartholomei, sampt inligender rechenzeddel, was du fur die tattersche rustung von unsertwegen ausgelegt, haben wir empfangen und schicken[a] dir bei unserm diener, dem von Aldenn, dasselbig hiemit widerumb zu.

Und nachdem uns gleich zu dieser zeit, als uns Got der almechtig mit der newen schwitzenden seuch beladen, ein schrift von dir zukommen mit vormeldung, das du uns noch ein tatterische rustung zugefertigt, nu haben wir dieselbige nit bekommen. Dweil[a] aber solicher brief von unsern ampten an uns gelangt, wollen wir nachforschung haben in hofnung, dieselbige zukomen. Hetten dir auch gern ein gelt, so du fur solche ausgelegt, ytzo zugeschickt. So haben wir solchen brief in unser kranckheit vorlegt und wissen nit, wie hoh sich dieselb summa erstreckt. Demnach wollest uns solchs zuschreiben; wollen wir dir auch uberraichen.

So wir dann bericht, das der bischof von Helsperg[1] und andere ko. rethe der landt Preussen ko.mt. ufs underthenigst geschrieben und gebeten, einen andern gemeynen landtag der muntzhandtlung halben uf Martini anzusetzen, so ist an dich unser gnedigs begeren, du wollest

bey hern Choyntzky zuvoraus bei ko.mt. mit vleis handtlen, damit derselbig seinen vortgang erreiche.

Und auch vorstendigen, wes der Dantzker und Melbinger[z] botschaft bey ko.mt. ausgericht. Dann wir bericht, wiewol wir dem nit vill glaubens beymessen, das sie sich vast rhumen, wie sie allen iren willen erhalten und das die beschlossene, vorrecesserte und vorsigelte muntzhandtlung nichs sein solle, sonder sol wie vor gehalten werde[n]. Welchs wir uns ye zu ko.mt. nit vertrosten wollen, auch gar nit glauben konnen. Mogen aber mit der warheit reden, das solche zwispeltigkait und mutwillig furnehemen der Dantzker unsern undterthan vast sovill schadens zugefugt, dan wir ye gern als der gehorsam furst ob der koniglichen mandaten halten wollen, uns aber vorsehen kho.mt. werde uns nit gonnen, das wir allein ob seinen mandaten halten und in unuberwindtlichen vorderben dardurch gefurt sollen werden. Dann solten die ungehorsamen den vorteill, wie bisher mit den Dantzkern und andern bescheen, haben. Mochts bey den unverstandigen mit der zeit ein gleichmessigs geperen.

Was von newen zeittungen in Hungern, achten wir sey dir unverporgen, derwegen wir dir solchs zuzeschreiben undterlassen. Dir gnedigen willen zu beweisen sein wir genaigt. Datum Konigspergk ut supra.

a) *sequitur expunctum*: wir
z) *sic in ms.*
1) *Mauritius Ferber, ep. Varmiensis.*

*N. 328.*

*E Regio Monte, 31.X.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christino Kuberski, vexillifero Visnensi,*
*pro animo propenso eorum, qui ei servitia sua offerunt, gratias agit, nullam se tamen expeditionem bellicam hoc tempore parare ait; duos currus ad usum suum iam procuratos in arcem Ioannisburgensem sibi mitti petit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 434-435.*

*N. 329.*

*E Regio Monte, 3.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro Balthasare Hiell, municipe Regiomontano, expetit scriptam regis concessionem, cuius vigore libere possidere, permutare vel vendere possit sex mansos agrorum, quos in regio pago Hynnewalth in districtu Stargardiensi legitime acquisivit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 435-436.*

*N. 330.*

*E Regio Monte, 3.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*rogat, ut rex in negotio Georgii marchionis Brandenburgensis tales ad proceres ordinesque Regni Bohemiae scribat litteras, quales antea ad ducem Opoliensem [Ianussium] scripsit, eiusdemque rei oratores regis Ferdinandi admoneat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 437-438.*

*N. 331.*

*E Regio Monte, 3.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*rumores de Vienna ingentibus Turcarum copiis cincta et de Austria undequaque devastata; de inaequalitate monetae magna damna causante; de reprimenda inoboedientia eorum, qui regiis mandatis de re monetaria editis non obtemperant.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 154.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 438-441.*

Omne studium animique propensionem dedicamus Illustri Magnificentiae Vestrae. Cui Deus prosperitatem mentis et corporis quam diutissime largiri dignetur, peroptamus.

Litteras Magnificentiae Vestrae die X Septembris ex arce Cracoviana missas accepimus in rure, vixdum eluctati e mortis periculo. Afferebant illae quidem triste nuntium, hoc est minas et iras immanis tyranni[1], sanguinem christianorum hianti ore sicientis. Gratum tamen fuit illud audire ab amico, cui sciamus calamitatem Orbis Christiani cordolium esse. Incidimus miseri in[a] mala talia. Perambierunt sibi hoc peccata nostra, quae non aliam correctionem meruerunt, nec sic quidem castigantur in melius. Quoniam vero vicinior est colluviei Turcarum Magnificentia Vestra et procul dubio cottidianis nunctiis percipit, quid moliantur hostes, quibus animis sese tueantur nostri, peroptamus, Magnificentia Vestra velit sui haud esse dissimilis et nobis, quae certa novit aut dubia fide narrata, impertiri. Certo sermone affertur huc ingentibus copiis Asianorum cinctam esse undequaque urbem Viennam ita, ut nec aditus nec abitus ulli pateat, atque devastatam circumquaque Austriam. Verum sic custoditam urbem valida manu obsessorum, ut non sit magnus metus captivitatis, modo non deficiant alimenta. Aiunt etiam primi nominis belli ducem, Hybrinum Bascha, subita eruptione, dum dubio Marte ardentibus animis utrinque confunderentur, captum a Ferdinandinis. Quae res si vera est, dubio procul grave vulnus sensit et senciet furia illa et fex belli, sanguinarius tyrannus.

Haec et alia scribet cercius Illustris Magnificentia Vestra. Invicem

rependemus, quae nobis a fratre nostro, Marchione Georgio, mittuntur. Ea, tametsi parum novi apportent, mittimus nihilominus atque sic mittimus, ut simul legat Reverendus in Christo Pater Episcopus Cracoviensis[2], quem etiam per interpretationem Magnificentiae Vestrae fraterne salutamus.

In negotio monetario hortatur nos Illustris Vestra Magnificentia in obsequium regiae voluntatis. Amplectimur monitionem, ultro cupientes eam viam sine calcaribus, quandoquidem nisi nobis certissimus animus esset parendi et Regi et patri, non tam constantes constiterimus in offitio obsequendi regio edicto. Cui dum nos morigeros praebemus, vicinis[b] refutantibus, tantum nobis ipsis populoque nostro damnum intulimus, quantum mediocre bellum vix intulisset, nisi quod ferrum et ignis absunt. In caeteris ipsa inaequalitas monetae quovis spoliatore raptoreque est nocentior. Quod dicimus, facili declaratione possemus luce meridiana manifestius facere, nisi sermo in longius protraheretur et res ea aliquanto nota esset Magnificentiae Vestrae. Speramus nunc in foribus esse remedium mali. Siquidem indictis Comitiis ad properantia nunc Martinalia consultabitur in medium, ne lucrum unius aut alterius civitatis fiat extrema[c] calamitas caeterorum, eo legatis nostris intra triduum hinc abituris summum illud in commissis dedimus, ne reluctentur regiae voluntati. Sed illi sese per omnia attemperent. Nam plane confidimus Regiam Maiestatem optimatesque Regni Poloniae sic omnia temperaturos, quominus Gedanensibus sua inobedientia cum avaritia coniuncta ultra in commodum ipsorum funesta, nobis et nostris obedientia nostra in excidium cessura sit, quod nobis non solum damnosum foret, sed — quovis damno gravius — secuturum opprobrium Regiae Maiestati ac Inclito Regno Polonico, dum ad[d] nutum unius civitatis cogerentur sua mandata et edicta figere et refigere; illa volente manere publica placita, illa recusante, cadere oportere omnium consensum, qui sic posset constare Regiae Maiestati suus honos? Qui Regno Polonico sua integritas et nobis parendi laus?

Semel rebellium frangenda est inverecundia[e] temeritas, quominus posthac nocentiora audeat tentare; quanquam vesanius quid in obsequentes, nocentius queat perpetrari, nisi censeat quis nos et nostros idoneos esse, qui inobedientibus avarisque spoliatoribus exponamur. Facit hoc etiam ad spem consequendi remedii, quod Magnificentiae Vestrae litterae intercessoriae ad Regiam Maiestatem, per scribam eorum et virum consiliarium extortae, secus quam quidem dictitavit, eorum peticioni subscribunt. Licet, ut nobis dicitur, litteris illis non parum fidant. Intelligimus etiam ex Magnificentia Vestra, quod litterae hae comprimis curam regii honoris et publici status curam gerant. Quod etsi nobis non scriberetur, nullam tamen aliam opinionem de Magnificentia Vestra, cuius probitas nobis summe perspecta est, conciperemus. Longiores sumus, quam instituimus. Fecit hoc omne malum cum fratre communicandum.

Illud addemus ad ea, quae Glaubitius nobis ex commissione coram retulit, praesentes respondens. Multum interea temporis lapsum est. Nil dubitamus, quin sententiam nostram, ut debuit et ubi debuit, exposuerit. Tantum est, quicquid regii nominis atque Magnificentiae Vestrae eiusque familiae possumus, in hoc totis viribus incumbimus et quoad vivimus, incumbemus. Quo die praesentia scripsimus, Regia Maiestas e Lithuania in Poloniam iter adornavit, sic nobis refertur.

Bene valeat Illustris Vestra Magnificentia, Frater charissime, et nobis rescribat. Ex arce Regiomontana, 3 die Novembris anno 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlovitz, 3 Novembris.

a) *sequitur littera expuncta.*
b) *correctum ex:* vitinis
c) *in ms.* extrama
d) *sequitur expunctum:* nudu
e) *probabiliter error pro:* inverecunda
1) *Solimanus II.*
2) *Petrus Tomicki.*

*N. 332.*

*E Regio Monte, 3.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de peste saeviente; de episcopo Pomesaniae [Erhardo Queis] et cancellario ducis [Friderico Fischer] eadem peste mortuis; de se ipso eiusdem pestiferi sudoris impetum perpesso; de uxore sua gravida etiam aegrotante.*

*Cfr. El. XXXIV, NN. 154, 157.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 441-444.*

Sunt amicorum omnia communia: mutuum gaudium in prosperis et condolentia in adversis. Narrabimus itaque tristia et ex tristibus nata laetiora, quo amicum nostrum et fratrem utriusque fortunae habeamus consortem.

Paucis diebus post ineuntem Septembrem accivimus[a] ad publica Comitia primates ditionis nostrae, quo mutuis consiliis consultaremus de summa rerum, de negotio monetario, de constituendo publico statu pro gloria Regiae Maiestatis et omnium nostrorum commodo. Et dum putabamus esse in tuto deliberationemque foelici gradu progredi, sensimus ex improviso energiam proverbii: quod cadit inter os et offam. Incidit[a] laetifer sudor, progressus ab urbibus[b] maritimis[a], mediam civitatem et consiliarios nil tale metuentes, ut solent conciti[a] fame lupi irruere in greges habitos in tuto pascere. Diffugiunt cives, dilabuntur acatii proceres. Sed et morti celeres pedes sunt. Adhesit in tergo fugientium mansitque in consortio manentium. Sic secunda die post fugam exudavit animam Reverendus Pater Episcopus Pomezaniensis[1] pervenitque in locum refrigerii, ubi nec sudor, nec luctus, nec dolor. Sic domi manens commutavit in aeternam foelicitatem[a] humanam miseriam Cancellarius[2] noster. Nihil profuit illi fuga, nil huic domestica confidentia[a]. Nam venerat utrique suae vitae terminus, quem praeterire non poterant. Ad hunc modum multi vivendi finem fecerant et acceperant sub initio, priusquam disceretur cura venenati sudoris.

Nos ante biduum concesseramus ad arcem Vishausen salutandi causa uxorem nostram, eo loco destinantis[z] pariendi tempus expectare. Mox sequitur nunctium inauditi medicis[a] mali et nunctium nil tardior

ipse pestifer sudor. Sumpseramus subitum consilium procul fugiendi cum paucis[a] e familia in nemoratam solitudinem. Verum quo e malo laberemur, quorum comes in fuga nil tardans[a] extitit sudificum virus. Prima fugae nocte corripitur unus e numero scribarum a secretis. Vicit tum ille, verum non vicit[a], qui prior eo sudavit. Sequenti nocte intravimus casam rusticam, angustam et imparatam. Labuntur paucae horae post noctis medium, ecce incipimus estuare sudorisque guttulis per totum corpus fluere. Introfertur candela, excitatur[a] medicus, accurrit familia. Quid multa? Curriculum viginti quattuor horarum, vel potius tot annorum, tam diu durat paroxismus, perferendum fuit dubium bellum mortis et vitae. Diserti essemus, si vellemus narrando consequi inauditae pestis inclementiam. Tantum est, flammas Ethnae pertulimus tantumque sudoris roravimus, quantum in trium obesorum eorumque bibatium corporum latebris latere nunquam putavissemus. Cuius mali comes erat nihilo mitior insolens cupiditas[c] somni, qui in hoc morbo admissus furorem, mox mortem conciliat. Auxit dolorem nostrum gravidae uxoris presentia, toto tempore viginti quattuor[a] horarum nobis adstantis et guttulas sese mutuo trudentes abstergentis. Madebat illa lachrimis, uti nos toto corpore sudavimus, preterquam quod oculis illius tandem deficiebat humor, qui perennibus scatebris e nostro corpore manabat.

Ubi convaluimus pedibusque rediit suum offitium, vix lapso biduo occupat et illam sudificum virus. Quid referam? Dolorem nostrum ponimus in tacita conscientia Magnificentiae Vestrae. Sudabat mortifero sudore uxor tenerrima, charissima, gravida foetu. Sed adfuit suae ancillae Christus, qui et matrem et foetum uteri recessibus latitantem clementer conservavit. An vero putabit Illustris Vestra Magnificentia exiguo moerore nos affectos, ubi videbamus et mares et foemellas e nostra familia passim iacere, flammis aestuare, sudoris rore manare, omnia mortem intentare? Sed o coelestem bonitatem, etiam in mediis poenis imbecillitatis humanae miserantem! E tanto numero sudantium ne unus quidem nobis periit. Quandoquidem in tempore ad nos modus tegendi ac retegendi perferebatur, quam qui ignorarunt, de iis magna ex parte conclamatum fuit. Sic dies tredecim sudantes nos perangustum domicilium et agreste nec regredi nec progredi valentes tenuit. Deinde huc rediimus, ubi nullus est numerus sudantium. Nam usque adeo in hac civitate perbachatum est virus illud horrendum, ut vix decimus quisque malum hoc evasit, necdum finis sudandi.

Hec recensere libuit fratri scienti, iuxta doctrinam Apostoli, flere cum flentibus et gaudere cum gaudentibus. Est autem ardentibus precibus rogandus Deus, ut flagellum hoc a populo suo una cum caeteris afflictionibus, bellis, seditionibus, fame, religionis perturbatione clementer avertat; quod tum fiet, quando illo dante vitam nostram in melius instituemus. Mittimus Magnificentiae Vestrae compositionem[d] antidoti, cuius beneficium sudantes et aestuantes praesens sensimus. Hortatur[a] autem Magnificentia Vestra philosophos et medicos, quoniam famigerata scola est isthic, ad inauditi mali inquisitionem. Nam multis eadem de re disquirentibus promptior certiorque comparatur inventio. Lipsi quidam, ut aiunt qui affuerunt, medicum pulvisculum componit. Cuius usu sudificum virus sex horis terminetur, ut tempus decumbendi ultra XII horas non prorogetur. Qui puvisculus, me hercle, pretio nummario vix estimari potest, quandoquidem tollit, quod est hostilius. Sunt etenim postremae horae nocentiores, quarum incle-

mentiam nemo norit, nisi quem docuit experientia. Bene valeat Illustris Vestra Magnificentia, Frater charissime. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitz, die quo supra.

a) *verbum correctum.*
c) *sequitur expunctum:* morbi
b) *in ms.* urbis
d) *sequitur expunctum:* andit
z) *sic in ms.*
1) *Erhardus Queis.*
2) *Fridericus Fischer.*

*N. 333.*

*E Regio Monte, 3.XI (in ms.X.) 1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*negotia sua « secretiora » apud regem commendat; de damnis ex inaequalitate monetae manantibus queritur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 437.*

*N. 334.*

*E Regio Monte, 3.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Martino Wolski, thesaurario curiae regiae,*
*pro Felice ab Allen (in ms.* a Dalan) *intercedit, ut a fide et offitio, quo regi servire obstrictus est, liberetur et inter aulicos ducis numerari queat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 436-437.*

*N. 335.*

*E Regio Monte, 5.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de conventu suo cum Friderico duce Legnicensi prospectato, gravissima eiusdem ducis aegritudine impedito; de litteris ab eodem duce acceptis; de gravi odio et accusationibus in Germania contra Polonos sparsis; de Nicolao Minkwitz a Georgio duce Saxoniae capto et accusato, quod milites in subsidium Turcarum collegisset; de novo teloneo in Masovia instituto.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 157.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 444-446.*

Evocavit nos iam pridem seriis litteris ad mutuum colloquium charissimus sororius noster Friderichus, Illustris Dux Lignicensis etc., videlicet ut conveniremus Posnanie aut Fristadio ad tractandum ne-

cessariis de rebus, ad Regiam Maiestatem eiusque Serenissimum filium Sigismundum Augustum pertinentibus. Quae res, ut ait, ita sunt arduae, ut nisi in tempore prudentibus consiliis remedium paretur, fore, ut brevi immineret clementissimo nostro Domino Regi Poloniae, vel mortuo Rege, ut omnes morti vicini sumus, praesertim senes, malum illud incubiturum esse in successorem, Sigismundum filium. Nec verbo indicavit, cuius generis esset illud periculum aut unde immineat. Ex quo licet suspicari, ob magnitudinem secretique religionem non esse carthis commendandum, sed archane inter nos, amicos, conferendum. Nos illico turbabamur nunctio[a]. Et in destinatum locum conveniendi animum coniecimus. Nam labor nullus, peregrinatio nulla, sumptus nullus est, quem non prompto animo subimus, ubi quid Regiae Maiestati Regnoque Poloniae prodesse poterimus.

Caeterum corripuit fidum Principem Friderichum pestilens febris, qua nunc laborat vitae periculo inter medicos in tertium mensem, ut arbitramur Magnificentiae Vestrae constare. Unde natum est impedimentum, quominus, uti decrevimus, conveniremus. Nec tamen ille in gravissima infirmitate deposuit animum bene consulendi Regiae Maiestati. Accepimus heri litteras eius, in quibus sic ferme loquitur: De negotio Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, eiusque filii antea scripsimus, eo difficultatis prolabuntur, ut queque dies videatur adferre suum pondus. Ex quo timendum fuerit, quod si Regia Maiestas mortalitate decesserit, futurum esse, ut illius filio magna perturbatio esset oritura. Quod copiosis declarationibus Illustri Dominationi Vestrae manifestabimus, ubi convaluerimus, per mutuum colloquium, quod tamen egre[a] ante Sacrum Ieiunium concedi potest, tanta est nostra imbecillitas, tam lente pes peregrinandi, etiam si cesserit redeunti sanitati diu durans mala valetudo. Eo, inquam, tempore tractabimus mutuo, nisi serior, quam necessitas postulat, futurus sit ille conventus.

Ad hunc ferme modum, dum verba verbis reddimus[a], ille sermonem facit[a]. Qui sermo haud obscure indicat minime leve argumentum esse alicuius minantis periculi, quod illum angit in animo quodque nobis cupit communicatum. Verum nihil constanter affirmare possumus, priusquam illum audiamus apertius loquentem. Attamen, nisi toto fallimur animo, coniectura videmur nobis rem tenere.

Exponamus breviter et viam sternamus maturiori consilio. Quos nunctios in Germaniam mittimus hoc tempore, ii constanter referunt grave odium cum acerba accusatione passim perstrepere in Polonos ceu manifestos hostes christiani[b] populi, precipue Germani. Et iam aperto conatu perpetrare, quod prius occultis technis struxerint. Nam non solum consulendo, auxiliando, manus militares subornando sese sotios prebere christianae gentis exitialibus illis inimicis Turcis, quin etiam ex professo contra populum renatum in Domino proficisci in militiam, stare cum nefariis cohortibus, in cingendo urbem validam suas turmas conglomerare, dum inauditis modis crutiantur, occidantur, lacerentur[c] ii, pro quibus Christus mortuus est. Dum omnia igni et ferro vastantur, mulieres, virgines, pueri horrenda patiantur, coram adesse, spectare, probare, quoniam ut fieret, ideo suas vires adiunxisse et in eam immanitatem furiosum tyrannum occultis consiliis cum quibusdam aliis ex Asia in Germaniam allexisse. Talia consequutura ex occultis quorundam, quoniam vir prudens est Dux Friderichus et solertia sua solet multa expiscari. Fortassis multo ante previdit et pertractavit in animo

rerum vicissitudinem, ut videlicet gravia bella nasci soleant, quando odium ad vindictam compellit eos, qui vim passi sunt.

Haec et multa alia, quoniam propior est et plura inquirit, procul dubio bonum virum perturbant verentem, ne quid detrimenti ea de causa olim vel iam etiam patiatur Regia Maiestas[d], aut post mortem eius malum hoc transferatur in successorem Sigismundum. Qua in parte quum vir prudens, ex praesentibus sequentia colligens, multa praevidet, multa secum pertractat in animo, multa timet, multa cupit antecedentibus consiliis emendari. Et nos, licet parum providentia circumspitientiaque valeamus, non possumus hoc metu non angi. Non quod in accusationem suspicando pertrahamus clementissimum nostrum Dominum Regem, quem scimus[a] istius conatus omni culpa vacare, pro qua eius innocentia etiam iurare parati sumus, verum quod in magno populo, in magno Regno sunt varia ingenia et quisque eo suum studium flectit, quo animus est propensior, ut fortasse haud omnino vana sit suspitio quorundam de nunctiis, consiliis nonnullorum potentium[c] Polonorum cum inimicis[a] Regis Ferdinandi. Fit autem frequenter, quod gens tota peccet, imputetur magistratui, licet carenti culpa, quod magnates ausu aliquo magno committunt, adscribatur ipsorum Regibus et Ducibus[a]. Quis negabit iis posse permoveri probum sapientemque Principem[a] Friderichum?

Certe nos haud leviter crutiamur animo et metus nostri cottidie nascuntur alia et alia[f] argumenta. Ante quadriduum venit huc[g] e Germania vir minime levis aut mentatia[z] circumferre solitus. Is retulit captum esse a Georgio Duce Saxoniae Nicolaum a Mincwitz, insignem illum equitem, et cum fuisset accusatus, quod duo millia peditum collegisset in subsidium Turcarum, eum sic declinasse invidiam accusationis: Milites legi, fateor, non in subsidium Turcae, sed in usum Regis Poloniae, sub huius dego presidio. Pro debito servitio et offitio illi milites adornavi. In quam expeditionem, ipse novit, nil amplius hic mihi conscius sum.

Haec et similia quas suspitiones, quod odium pariant, fatile[z] videt pro sua sapientia Illustris Magnificentia Vestra. Regem habemus innoxium, inculpatum, gravatur tamen aperte aliorum ausu aut factis verisimilibus. Nil dubitamus, quin de his nobiscum conferre cupiat, et forte secretioribus, Princeps Friderichus. Non autem ideo ista scribimus Amplissimae Vestrae Magnificentiae, quo maturiora consilia parentur et ipsi Regi, Sigismundo filio, toti Regno Poloniae, nobis denique omnibus, quorum mutuo nexu pendent et foelitia et adversa. Hortamur, Magnificentia Vestra cum cordatis viris consulat, dum fieri potest, in medium. Nos nostrarum partium et fidei, qua sumus Regi dediti, non obliviscemur. Cui nunc in Poloniam redeunti cupimus per Magnificentiam Vestram plurimum commendari et simul illud nobis expediri.

Instituitur novum telonium in Mazovia in villa quadam, nuncupata Zudow, iuxta fines districtus Neidenburgensis. Ea institutio reluctatur prorsus mutuis contractibus et pactis. Precamur unice Magnificentiam Vestram, quoniam omnia[h] nostra semper habet curae, ius nostrum tueatur apud Regiam Maiestatem atque curet, telonium illud abrogetur, uti equitas iuxta mutua conventa postulat. Morem nobis geret, nil

dubitamus, Amplissima Vestra Magnificentia. Quam cupimus salvam esse. Datum V die Novembris ex Konigsperg 1529.

*In initio epistolae in margine.* Ad Christophorum Schidlowitz, 5 Novembris.

a) *verbum correctum.*
b) *sequitur expunctum:* nominis
c) *in ms.* lacerantur
d) *sequitur verbum expunctum.*
e) *sequitur expunctum:* potentium
f) *supra lineam.*
g) *sequitur expunctum:* in
h) *sequitur expunctum:* tueatur apud Regiam Maiestatem
z) *sic in ms.*

## *N. 336.*

*E Regio Monte, 9.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, castellano Posnaniensi (in ms.* weiwoda)
*pro Stanislao Stan (Stano) intercedit, ut ius suum, de quo ei cum quodam Sandivogio Czarnkowski controversia est, expeditius consequi possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 447.*

## *N. 337.*

*E Regio Monte, 13.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro Ioanne Nimptsch, perturbationis Reipublicae Gedanensis (in rebus religionis) accusato et incarcerato, intercedit, ut e carcere liberetur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 447-449.*

Cuius clementia sumus, vivimus, movemur, is vitam prosperitatemque Magnificentiae Vestrae in seram[a] aetatem, Frater honorande ac perchare, protrahat effitiatque, ut quemadmodum eius clementiam omni temporis momento sentimus, ita nunc clementem impetrationem nostra petitione, studio et offitio Magnificentiae Vestrae consequamur. Diuturna captivitate devinctus tenetur Ioannes Neminsky[1] ob crimen, quod illi in perturbatione Reipublicae Danciscanae[b] impingitur gravi accusatione, qua illum nec gravamus nec purgamus, praeterquam quod sententiam eius de religione christiana minus damnabilem ducimus[c], quam volunt forte quidam videri. Pro quo viro liberando hactenus preces nostras saepius apud Regiam Maiestatem interposuimus multis de causis. Est etenim vir, qui ob singularem prudentiam coniunctam facundo ori, qualibus hominibus iurisprudentia, magistratuum circumspitientia multa solent, si quando labantur, condonare, publicis[d] rebus natus videri queat, tum quod acerbum erat atque periculosum privari consortio iuvenis charaeque uxoris atque negligere curam parvorum liberorum. Sed sumus hucusque in petendo re-

pulsam passi, nunc hoc, nunc illo impedimento obiecto, precipue[e] posteriori tempore, quod Rex Serenissimus abesset a suo Regno. Qui quum nunc ad suos redierit, rogamus, obsecramus, instamus denuo, si quid unquam ulla in re desyderavimus, nunc pretipue Illustris ac Fraterna Vestra Magnificentia partes intercedendi pro captivo, uxore, liberis nostro nomine subeat apud Regiam Maiestatem, procul dubio prebituram se tandem exorabilem voluntati tanti precatoris, atque sese flectat in omnes partes rogandi, nec prius cesset instare, donec squalentem in carcere eripiat suisque restituat. Possunt autem, ne quid periculi de ultione ob captivitatem resideat Regiae Maiestatis subditis, imponi emancipato[f] conditiones de non ultiscendo neque facto neque dicto, aequae[g], tutae et fortasse tutiores, ac si adhuc clausus in vinculis occluderetur.

Cupimus autem hanc gratiam per Magnificentiam Vestram impetrari a Regia Maiestate, ut nobis donetur, donatus ad nos mittatur, sub nostro iure vivat. Certe eam providentiam adhibebimus, ex quo omnes intelligant prospectum esse de securitate subditis regiis et liberato bene consultum. Qua in re[h] quoque impetratum cupimus, ut liberato e captivitate concedatur a Regia Maiestate libera securitas eundi Petracoviam pro diluendis in publico Conventu quibusdam intentatis[i] criminibus. Quod tamen haud aliter petimus, nisi e re habeatur captivi. Nam si quid inde invidiae aut obstaculi oboriri poterit, consultius fuerit crimen constientia quam ore diluere. Quem locum ponimus in medio. Quam ob rem, charissime Frater, secundo iterum atque iterum rogamus quam possumus maxime, Magnificentia Vestra offitio suo geminam charitatem edat fraterni nominis, unam erga nos, alteram erga captivum. Sic duplex sequetur retributio. Erimus etenim devinctiores offitiis vestris et non leve argumentum christianae clementiae aeditum fuerit erga fratrem eiusdem religionis, spei, hereditatis consortem, qui si quid peccavit, expiavit illud abunde satis diuturna carceris obscuritas. Bene valeat Magnificentia Vestra, Frater charissime. Ex Konigisberga, XIII die Novembris anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christoferum Schidlovitz, XIII Novembris.

a) in seram *subscriptum pro expuncto*: in seram
b) *correctum ex*: Dantiscanae
c) *correctum ex*: dutimus
d) *correctum ex*: publitis
e) *correctum ex*: pretipue
f) *correctum ex*: emantipato
g) *in ms.* aquae
h) *sub linea scriptum.*
i) *in ms.* intantatis
1) *Nimptsch.*

*N. 338.*

*E Regio Monte, 13.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi [Petro Tomicki], R.P. vicecancellario,*
*pro Ioanne Nimptsch, tempore tumultuum Gedani in causa religionis excitatorum in carcerem deiecto, intercedit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 172.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 449-451.*

N. 339.

E Regio Monte, 13.XI.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*pro Ioanne Nimptsch, cive Gedanensi, intercedit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 451-452.*

N. 340.

E Regio Monte, 18.XI.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*de prorogando termino inspiciendis et innovandis finibus inter Ducatus Lithuaniae et Prussiae statuto.*

*Cfr. El. XXXIV, NN. 158, 168.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 452-453.*

Iam pridem[a] convenerat[b], decernente ita Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo, uti fines Lithuaniae et huius Borussiae innovarentur ad festum diem Apostoli Andreae pro custodienda concordia viciniae vicinarum regionum accolarumque partis utriusque, tollendisque quorundam controversiis. Verum cum tempus illud designatum terminis inspiciendis minime sit idoneum, quod nullibi gelu concreta sit aquarum inundacio, quarum ibi copiosa vis est, sitque rarissimum circa tale tempus iter preberi per congelationem, rogavimus Regiam Maiestatem, uti dignaretur prorogare inspiciundi tempus ad Epiphanias Domini, quando hyems tenet omnia longe lateque concreta. Caeterum nil nobis responsum est a Regia Maiestate, neque ab alio quoque. Quod tamen per proximum nostrum nunccium cumprimis expectabamus.

Quam ob rem, quando nunc pro foribus est Andreae celebritas nosque nullo misso responso in ambiguis hereamus, valde nobis rem gratam faceret Magnificentia Vestra, si citra cunctationem indicaverit nobis, quid visum sit Regiae Maiestati: convenire-ne debeamus ad inspiciendum, quemadmodum prius decretum fuit, an expectare prorogacionem. Si ita pergere debemus et proceres Lithuaniae ad inspiciendum convenire volunt, et nos praesto erimus ad diem statutum, quanquam scimus talem[c] conventum inutilem fore. Pro utraque parte commodum foret differri tempus in Epiphanias Domini, et ut in talem dilationem promoveatur Magnificentia Vestra, multum rogamus. In respondendo tollatur omnis mora. Sic pro re praesente nobis gratissimum faciet Magnificentia Vestra. Quae ut quam diutissime bene valeat, optamus. Datum e Regio Monte, die 18 Novembris 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Gastoldum, XVIII Novembris.

a) *supra lineam.*
b) *verbum correctum.*
c) *sequitur expunctum:* talem

N. 341.

E Regio Monte, 18.XI.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Radziwiłł*
*gaudet, quod consilio suo de non descendendo in certamen (cum Gregorio Ościkowicz) paruit; pro muneribus gratias agit.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 453-454.*

Si quid voto valemus, fruitur secundis et prosperis successibus Egregia Vestra Magnificentia, in quam precipuo favore et gratia sumus inclinati. Quando a nobis peteret in usum duelli pugnacem equum cum gnaro rei equestris armigero, duobus modis perturbabamur, tum quod parum christianum duximus sic in mutua vulnera ruere Christi nomine insignitos, tum quod in communes hostes talis generosorum virorum virtus pocius esset exercenda. Arbitramur, quod non exciderint, quae in dissuasionem produximus, dum equum cum[a] armis et instructore misimus. Quod huic nostro consilio, vel pocius melioribus suasoribus paruit Magnificentia Vestra, multum gaudemus. Caeterum quam animi promptitudinem Magnificae Dominationis Vestrae, sicuti in mandatis accepit, nobis interpretatus est ea de causa missus huc proprius nunctius, ea prius nobis erat haud ingrata. Gratum tamen exstitit iterum audire, ut peritus auribus eadem cantilena ex repeticione efficitur gratior illi, certe nos pari benevolentia respondemus. At illud minime expectabamus, ut nobis tanta et tam amabilia munera mitterentur. Devincit animum nostrum equus Asianus, incessu et cursu praestans et animo ferotiens. Nec minus gratus habetur insignis vestitus, preciosissimis pellibus subsutus. Cuius figura et habitu, nempe Ruthenica, Magnificentia Vestra fama audierat nos delectari. Non oportuit ista mitti, benevolentia etenim, non responsionibus donariis arbitramur mutuos affectus oportere declarari. Sed quum donata sunt, priori loco habemus animum benevole donantis, secundo reponimus non minori gratia ipsa munera[b]. Pro quo tam pulchro offitio Magnificentiae Vestrae nunquam desistemus, dum possumus, parem gratiam rependere. Bene valeat Magnificentia Vestra, Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Stanislaum Ratzivil, ut supra.

a) *sequitur expunctum*: instructore
b) *in ms.* minora.

N. 342.

E Regio Monte, 19.XI.1529.

*Dorothea dux in Prussia*
*ignoto*
*pro bonae salutis precatione gratias agit; se eum duci consorti suo commendare promittit.*
*(Latine)*
*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 454.*

## N. 343.

*E Regio Monte, 20.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christino Kuberski (in ms.* de Cupra), *vexillifero Visnensi,*
*ad litteras eius, quibus facultatem capiendorum piscium in quibusdam stagnis praefecturae Llckensis expetebat, respondet ea stagna non ad illam, sed ad Rheinensem praefecturam pertinere, et suadet, ut primum hac in re ad illius praefecturae praefectum scribat.*
*(Latine)*
*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 455.*

## N. 344.

*S.l., 28.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*commissariis regiis, ad inspiciendos fines designatis,*
*consiliariis suis ad Comitia Pruthena, ex edicto regio convocata, profectis et nondum reversis, rogat, ut aliquot dies eorum reditum exspectent.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 455-457.*

Salutem dari multum cupimus Inclitis Vestris Magnificentiis, quibus favorem et gratiam, qua in re possumus, prompti offerimus. Hac ipsa hora percepimus Amplissimas Vestras Dominationes adplicuisse ad mutua confinia pro inspitiendis terminis atque renovandis, quemadmodum visum fuit Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo, ut ad hanc necessariam operam presens tempus observaremus. Caeterum quid obstet, quominus nostros eodem mox, [ut] constitutum fuit, mittere queamus, precamur, audiant Magnificentiae Vestrae. Celebrantur ex edicto regio in hac Borussia publica Comitia de rebus, summam providentiam poscentibus. Misimus illuc oratores nostros, qui nunc absunt dies viginti diutius, quam credebamus fore, dum abirent. In eorum numero sunt, quibus impositum est onus illud simul inspitiendi cum Magnificentiis Vestris. Expectamus autem in omnes dies eorum reditum. Qui quum nequeunt in longum prorogari, plurimum rogamus, Amplissimae Vestrae Dominationes dignentur pro necessitate ita nata aliquot dies expectare, dum illi redierint. Quod eo etiam a promptioribus animis Magnificentiarum Vestrarum speramus nobis concessum iri, quod nondum patefacta via per congelatas aquas laboris progressum aliquantulum differret, etiam si nostri adessent. Ne Magnificentiae Vestrae velint egre ferre hanc nostram moram, unice petimus. Quae necessitas imperat, non tollimus homines. Speramus admodum breve fore moram. Deinde, quo singula expeditius suum ceptum habeant, nos ipsi quoque prope ea loca conveniemus, nempe in arcem nostram Liscki[1]. Utinam induret hiems paludes gelu, quae hoc tempore neque hominibus neque equis sunt perviae, nos tardi non eri-

mus. Optime valeant Amplissimae Magnificentiae Vestrae. Datum 28 Novembris anno 29.

Schedula:

Iam finem imposuerat epistolae amanuensis et post diutinam absentiam reditum suum repararunt nostri legati. Moram igitur omnes tollemus. Tantum superest, ut locum, quo sit conveniendum nobis indicent Magnificentiae Vestrae per presentem nostrum nunctium, quem iussimus in eundo et redeundo alas annectere.

Schedula:

Eventurum nobis esset non leve votum, si unus de numero legatorum fuerit Magnificus Dominus Gastaldus, Palatinus Vilnensis, quocum desideramus multis de rebus colloqui, nec facile videtur alias datum iri nobis mutuum colloquium in presentia negato conventu. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad regios legatos, missos ad inspitiundos fines Lithuaniae ac Prussiae, 28 Novembris.

1) *Lyck (Elk)*

*N. 345.*

*E Regio Monte, 1.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de sua tum decreto Marienburgensi, tum edicto regio in re monetaria publicatis oboedientia, et de Gedanensibus ac Elbingensibus eisdem non parentibus.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 457-460.*

Quod obsequium in parentes et in regio solio sedentes nobis prescribat pietas, id Regiae Vestrae Maiestati volens libensque dedico. Haud dedignetur Regia Vestra Maiestas in memoriam revocare, quae Comitia pepererit huic Borussiae res monetaria, quae taedia, quos labores, deinde quae detrimenta, quae damna in publicam calamitatem. Previdebam principio, et multi mecum, ex ea innovatione grave incommodum secuturum, antequam per omnia pareretur consensus. Ideo dum novatio multis placuit in initio, ipse difficilior eram ad consensum. Verum quando videbam animum Regiae Maiestatis ac ferme potiores partes huius regionis omnino eo inclinari, destiti a proposito, turpe ducens communi placito, qui tam sapiens Rex calculum preberet, dissentire. Et ubi semel, ut debui, animum adieci, nemo me a regio decreto potuit avellere, neque experientia malorum secutorum, neque calamitate subditorum, malui etenim utrumque perpeti, quam regium placidum[z], non parendo, dehonestare.

Secutum est Marienburgense ex publico consensu decretum, regia auctoritate roboratum. In eo perstiti constanter, nec ullius persuasione sivi me ab eius praescripto avocari, quum sciverim, qua rebellione quidam contra suum ipsorum assensum, comprobationem, sigilla reluctarentur, in presentissimam meam meorumque[a] calamitatem non

secus, quam si hostili manu provintiam hanc meam invaderent, nisi quod hostilis manus vim publicam exercet, illorum rebellio suo improbo ausu fucum quendam adpinxit, ut versipellis conatus indueret effigiem recte facti. Malum hoc amoliri pro sua iustitia Maiestas Vestra Regia suis edictis ac mandatis studuit, quominus calamitas multorum efficeretur avaritia paucorum.

Sed hactenus nullo regio iussu, nec ullis repagulis cohibere potuit fronte carens rebellio. Tantum valuit regia auctoritas, quantum inter immorigeros valet bonorum rectius consilium. Ex quo mihi meisque subditis tale detrimentum secutum est, quale ante experientiam in nullius unquam animum potuerat venire. Si conspirassent multi industrii callidique viri in publicam calamitatem, nullum aliud pernitiosius conventum potuissent excogitare. Si fraus incidit ex eventu, me hercle, non erat bonorum virorum tali fortuna uti. Sin vero de industria structa est, aequet suis verbis, qui potest. Certe licentia est vix unquam audita. Dicam, ut habet: bello praeterito, quo misera haec regiuncula devastabatur, nunquam tantus clamor erat populi, nullae unquam tantae querelae et magnorum et parvorum. Inaudita caritas est rerum omnium non quidem ob anni malignitatem, sed quod novatio facta est monetae, cui quidam cogimur parere, contra quam nonnulli non verentur cristas tollere et inde rethe contexere convehendi bona eorum, qui se subdunt regiis edictis.

Si querat aliquis, quare omnia in summo foro sunt in Ducatu Borussiae et apud Danciscanos atque Elbingenses vili emuntur, venduntur omnia, in promptu responsio est. Rex, inquiunt, iussit et Regis iussu Princeps Albertus mandavit. Sic optimae legi fit deterrima fraus. Quis enim sana mente gerens primatum in imperio istam inaequalitatem audebit introducere, praesertim in religione christiana? Et tamen prima culpa imponitur Regiae Vestrae Maiestati, secunda mihi impingitur. Caremus quidem uterque ista accusatione, negari tamen non potest, quin publicum illud incommodum per edictum regium meamque obedientiam sit introductum. Si bona fama rite administratae Reipublicae commendat Reges, profecto denigrarunt nomen regium non leviter rebelles ipsi, quorum licentia Regis efficitur criminatio. Et ipse quoque in partem vituperii ex eo, quod pareo regiis edictis, rapior. Colligat aliquis indignitatem rei in epilogum brevem.

Publicavit Rex edictum huic[z)], qui obsequuntur, patiuntur summum detrimentum ac exuuntur ferme omnibus suis bonis; qui audent contra repugnare, iis bona cumulatim eveniunt. Et si inobedientes accuses, redundat accusatio in iubentem Regem et eos, qui se subdunt regiis praeceptis. Haec est summa facti, nec potest quisquam aliter interpretari, quem experientia docuit. Absint a bello gladius, sanguis, ignis, devastatio et efficietur bellum multo tollerabilius, Non est ista vox mea tantum, sic clamant omnes mei subditi utrumque experti. Fraus fit agricolarum, cives insolido more coguntur mutare emptiones et vendiciones, negociatores cogitant de sede transferenda, peregrini aiunt nusquam alibi omnia charius vendi. Saepius de hac iniuria longis litteris conquestus sum apud Regiam Vestram Maiestatem, cui scio suorum subditorum incommoda dolori esse. Pro corrigenda difficultate inducta[z)] fuere Comitia nuper ad Martinalia. Consultatum est in medium singulari animorum intentione et ab iis, qui a parte Maiestatis Vestrae Regiae adfuerunt, et ab iis, quos ego misi. Tandem omnes ab utraque parte magno consensu probarunt decretum

Marienburgense. Cui parendum censuit Regia Vestra Maiestas, ut videlicet novatio monetae procederet suo coepto.

Duae tantum civitates, Elbingium ac Dancistium, contra sensere, nescio quid repugnans dictitantes, quod velint ad cognitionem Regiae Vestrae Maiestatis referre. Quod meram fraudem et imposturam duco, quo controversiam pro sua libidine in longius producant. Quod procul dubio regius orathor et caeteri Ordines Borussiae Regiae Vestrae Maiestati iam sufficienter declararunt. Difficile est e faucibus lupi correptam ovem eripere. Dictitant se velle stare placito Marienburgensi et tamen toto conatu student evertere. Quis non intelligit technas verborum et studium differendi publicum bonum, quo sibi bene sit et male reliquis omnibus.

Quam ob rem oro, precor, obsecro haud secus, ac si coram essem, in genua procumberem, Regia Vestra Maiestas dignetur duris malis remedium parare nunc tandem severiori consilio; quod fiet, quando quod statibus omnibus ex parte Regiae Maiestatis et ordinibus mei Ducatus placuit, edictis, censuris, minis approbaverit, nec aurem aperuerit frivolis surrogationibus rebellium istarum civitatum, quas scio in suo prefracto ausu non dormituros[z]. Sed pocius audiat sententiam suorum ordinum[b], utilius pro Republica narraturorum. Quod ni factum fuerit a Regia Vestra Maiestate, perdita erit in brevi tota mea regiuncula, perditae et pars[z] Borussiae Regiae Vestrae Maiestati subiectae, cedetque casus multorum in incrementum paucorum, hoc est, ut morigeris retribuetur pernicies, inobedientibus rependatur premium dives et honorificum. Equidem quicquid argenti fuit in hac regione, illud fere totum confluxit Danciscum. Nunc nova frons excogitata de auro, ne qua pars iustissimae querelae nobis desit. Succurrat rogo et iterum rogo succurrat Regia Vestra Maiestas crescenti malo, antequam toti pereamus et alter alterum mutuo devoremus. Fortasse longior fui, quam oportuit: res ita exigit plus aequo acerbior atque nulla verba consequentur rei indignitatem. Omnia copiosius exponent oratores nostri, quos brevi mittemus. Interim haec praemittere volebam. Optime valeat Regia Vestra Maiestas et miseris nobis manum porrigat. Datum ex arce nostra Regiomontana, 1 Decembris 1529.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Polonorum, 1 die Decembris.

a) *in ms.* morumque
b) *sequitur non expunctum:* ordinum
z) *sic in ms.*

*N. 346.*

*S.l., 2.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*expostulat, ut legatis suis, quos ad Comitia Regni Petricoviam missurus est, commoda diversoria praeparari curet.*
*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 49v.*

An Nickell Niptitz den 2 Decembris.

Wir werden vorursacht, uff die handelung, so uff gemeinem landttage zu Marienburg gehalten, unsere bothschaft zu ko.mt. uff den reichs-

tag zu Petterkaw abzufertigen und unser und unser lande nodturft an ko.mt. zutragen lassen. Welche bothschaft sich ungeferlich in XIIII tagen von dato alhyr erheben werden. Und domitte sie auch doselbst zu Pytrkaw uff ire ankunft herberge finden und undterkommen mogen, ist an dich unser gnedigs beger, du wollest in der zeit helffen, darauf trachten, das dieselbigen unsere geschickten uff eine acht oder neun pferde ungeverlich uff ire aukunft so guthe herberge als es moglich, finden und haben mogen. Daran thustu uns zu gefallen und wir sein es umb dich mit gnaden zu beschulden geneygt. Datum ut supra.

*N. 347.*

*E Regio Monte, 4.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Adriano Gołyński, castellano Czernensi,*
*ad litteras intercessorias pro Matthia Dorsz respondet se ei ex clementia sua omnia ignovisse, non autem propter eius innocentiam.*

*Cfr. El. XXXIV, NN. 155, 162.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 461-462.*

Salutem et foelicitatem.

Generose ac syncere nobis dilecte.

Literas, quas Generositas Vestra iam pridem ad nos dederat, accepimus legimusque. Quibus enixe precatur ac intercedit Generositas Vestra pro quodam Mathia Dorss, quem praefectus noster in Ortelsburgio Vestrae Generositati a vicinia aliquandiu apud se detinuit, ipso denique dimisso, eius equos, currum et aliquot lignium obtinens. Qua de re dudum ne inscia sit, Vestrae Generositati scripsimus et mandavimus (in hoc publicato quoque edicto nostro) Capitaneo nostro praefato Ortelsburgii, ut circumspecte et summa diligentia curaretur provideretur que, ne usquam gentium, quousque ipsius aliorumque nostrorum praefectorum cura demandata a nobis pateret, aliqua clandestina coemptio quarumcunque rerum subditis saltem nostris obfutura fieret, nec fieri permitteretur, et ne quicquam iniuriarum alicubi nostratibus in ea re oriretur, quam propulsare, ut nos decet, ita et volumus.

Interea porro hic praefatus Mathias Dorss, hoc nostro neglecto edicto, non solum in ea prohibita et clandestina ac nostratibus non leve quidem damnum allatura coemptione a Capitaneo nostro, verum etiam, ut relatum est nobis, quorundam ferri cooperatores (quorum scelus poena iam pridem sequuta) relicta aliqua bona clanculum subvexisse, quae merito ac iure nostrae praefecturae Ortelsburgensi accidissent. Quanquam tandem ob haec et huiusmodi non immerito vindicta nostra in hunc Mathiam Dorss, si saltem ita se res habet, ut Generositatis Vestrae literae indicant, uti possemus, in hoc edentes exemplum, quid caeteris vel cavendum vel faciundum denique. Verum qua sumus clementia prediti, benigne ignoscimus cuncta ac reddi fecimus et currum et equos et si quid aliud est, non tam ut intelligat literas vestras Vestraeque Generositatis intercessionem apud nos locum habuisse, cui, si postularet necessitas, vel in maioribus gratum

facere benigne propensi sumus, quam ut vicinitatem amicam cum Vestra Generositate ac optimis quibusque semper adstruere ac sancta servare nos existimetis credatisque. Quam ob rem cupimus, ut Generositas Vestra huiusmodi hominem Mathiam caeterosque omnes vestros subditos instruat, ne quid porro in nostra provintia istarum rerum delinquant, ne nostrae vindictae ultra isti vel suis factis vel emptionibus occasionem subministrent. Haec Vestram Generositatem latere noluimus pro nostra in vos mente et animo propenso, Datum e Regio Monte, 4 Decembris 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Adrianum Golinszky, 4 Decembris.

*N. 348.*

*E Regio Monte, 5.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de filio sibi nato regem certiorem reddit eumque rogat, ut officium compatris suscipere velit.*
*(Schedula: expetit, ut rex filiae suae Hedvigi etiam permittat infanti matrina esse).*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 466-467.*

Nunctiat sibi natum filium et rogat, ut non dedignetur fieri patrinus sive compater.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Docent nos divina praecepta esse tempus leticiae, esse tristitiae: largita est mihi coelitus non exigua materia gaudii. Hac[a] nocte 5 die mensis Decembris benignitate Dei in lucem produxit mihi coniunx mea charissima[1] filium ac Sacrae Regiae Vestrae Maiestatis famulum bono corporis habitu, salva matre. Magna ergo animi hilaritate gaudeo[b] et divinam benignitatem agnosco. Qua de re, tanquam Princeps et filius subditus, Sacram Regiam Vestram Maiestatem hoc meum gaudium ignorare nolui, quem gratulatorem haberem tantum Regem, tantum patrem, a quo primum agentur gratiae Deo ob editum christianum fructum et auctam Prussiam hereditario Domino e meo sanguine pro communi gloria familiae nostrae, imprimis vero ad laudem et[c] incrementum sacrosancti Regni Poloniae. Quare omni, qua possum, diligentia rogo, Sacra Regia Vestra Maiestas dignetur huic filio nostro et[d] primo nato Duci Prussiae, famulo suo, fieri patrinus ad christianismum iuvare et ex sacro baptismatis lavacro eundem lavare[z]. Quod sacramentum baptismatis Deo dante ad festa proxima Trium Regum cum filio meo celebrare volo. Aut, si in tali tempore Sacra Regia Vestra Maiestas venire non poterit, tam diu procrastinare (filio sano, uti a Deo spero, permanente), ut Sacra Regia Vestra Maiestas advenire poterit. Magna enim laetitia, quae mihi ex hoc filio edito concessa est, persuasit[e], ut magnum Regem pro patrino quererem. Si igitur intellexero Regiam Vestram Maiestatem Principem et filium suum in hoc sui voti facere compotem, duplex efficietur mihi gaudium. Cuius beneficii per totam vitam meam non ero immemor. Opto Regiam Ves-

tram Maiestatem optime valere. Cui me, ut Domino et patri meo clementissimo, commendo. Datum ex Regio Monte, V Decembris anno etc. 29.

Schedula ad Regem Poloniae.

Desyderamus etiam, ego et coniunx mea suavissima, Serenissimam ac Illustrissimam filiam Regiae Vestrae Maiestatis natu grandiorem, Dominam Hedvigem, consanguineam nostram charissimam, filio nostro patrinam. Quare rogamus quam diligentissime, Regia Vestra Maiestas velit Suae Serenissimae Illustritati[f] paterne[g] favere ac permittere, ut nobis in hoc acquiescat, contractura per hoc non solum arctiorem amicitiam, verum etiam ut uxori meae coram notior fieret. In hoc factura est Regia Vestra Maiestas mihi, filio suo, rem oppido quam gratissimam. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 5 Decembris.

a) *in ms.* materia hac gaudii
b) *in margine.*
c) et *bis scriptum.*
d) *sequitur expunctum:* patrinus fieri
e) *in ms.* persuavit
f) *in ms.* Illustriore
g) *in ms.* patrinio
z) *sic in ms.*
1) *Dorothea.*

*N. 349.*

*E Regio Monte, 5.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Hedvigi, filiae Sigismundi I regis Poloniae,*
*rogat, ut matrina esse velit filio sibi nato.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 467-468.*

Salutem et animum inserviendi prompitissimum, Serenissima ac Illustrissima Domina et consanguinea charissima.

Nolumus Serenitatem Vestram latere nobis non exiguam materiam gaudii coelitus largitam esse. Natus est enim nobis hac nocte V die mensis Decembris benignitate Dei filius eleganti corpore, integris membris, salva matre. Gaudemus ergo magna animi hilaritate et divinam benignitatem agnoscimus. Qua de re, tanquam consanguineus, Serenissimam Illustritatem Vestram hoc nostrum gaudium ignorare nolebamus, quo gratulatricem haberemus consanguineam Reginam, non solum atavis, sed morum honestate praeclaram, a qua primum agentur gratiae Deo ob editum fructum et auctam Prussiam hereditario Domino pro communi gloria familiae nostrae. Deinde nobiscum gaudere, ut consanguineam charissimam deceat, in prosperis et optatis, atque demum filio primo nato Duci Prussiae, Serenissimae Illustritatis Vestrae consanguineo, fieri patrina, ad christianismum iuvare et ex sacro baptismatis lavacro lavare. Magna illa laetitia, quae nobis ex hoc edito filio concessa est, persuasit, ut Serenissimam Vestram Illustritatem, tanquam Dominam et consanguineam charissimam, filo nostro primogenito dilectissimo patrinam quereremus. Non dubitamus Serenissimam Vestram Illustritatem nobis congratulaturam et opus tale christianum ac bonum, quod petivimus, libenter facturam. Nihil est enim, quod

rursum Serenissimae Illustritati Vestrae denegare volumus. Cui sumus ad omnia servitia obsequentissimi optamusque ex animo Serenissimam Illustritatem Vestram optime valere. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Reginam Poloniae virginem Hedvigem, V Decembris.

z) *sic in ms.*

*N. 350.*

*E Regio Monte, 5.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*filium sibi natum esse nuntiat et rogat, ut munere patrini fungi velit. (Schedula: de filia regia Hedvige in matrinam filii sui invitata significat, rogans, ut eam causam promoveat).*

*(Latine)*

*Cfr. El., XXXIV, N. 165.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 468-469.*

*N. 351.*

*E Regio Monte, 5.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christino Kuberski, vexillifero Visnensi,*
*instructio ad legationem, qua ducem Masoviae de filio duci Prussiae nato certiorem facere debet et eam rogare, ut officium matrinae absolvere velit.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 164.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 469-471.*

*N. 352.*

*E Regio Monte, 5.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iacobo Krapp (Krapen), civi Posnaniensi,*
*de pileo demortui episcopi Pomesaniae, Erhardi Queis, novo episcopo eiusdem dioeceseos restituendo.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 49v-50.*

An Jacob Krapen, burger zu Posenn, den 5 Decembris.
Unsern grus zuvor.
Ersamer, lieber, besonder.
Wir werden bericht, wie euch der ernwirdig herr Erhard[1] weylanndt, bischoff zu Risenburg seliger gedechtnus, einen bischoffshuth

denn von cleinotten kostilch zu verkeuffen undtergeben. Wo nu derselbige bischoffshut bey euch unverkaufft, ist an euch unser beger, ir wollet denselbigen widderumb dem neuen bischoff[2] gegen Margenwerden zuschicken odder, wue er verkaufft, uns guthen bericht zu schreiben, wie theur solcher hut gegeben, auch wer das gelt davor entpfangen. Darann thustu uns zu gefallen in gnaden widderumb zu erkennen. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Jacob Krapp.

1) *Queis.*
2) *Paulus Speratus.*

*N. 353.*

*E Regio Monte, 10.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, litterae fidei pro oratore suo, Christino Kuberski (de Cupra).*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 493-494.*

*N. 354.*

*E Regio Monte, 14.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*ob baptismum filioli recens nati festo Epiphaniae celebrandum prorogationem termini finibus inter Prussiam et Lithuaniam renovandis statuti expetit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 473-474.*

*N. 355.*

*E Regio Monte, 14.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*de termino innovandis finibus statuto ob natum sibi filium et futuram baptismi celebrationem a die 6.I.1530 ad diem 2.II.1530 differendo.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 168.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 471-473.*

N. 356.

E Regio Monte, 15.XII.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*rogat, ut rex litteras scribat (latinas, germanicas et bohemicas) Ioanni (Ianussio) duci Opoliensi in causa Georgii marchionis Brandenburgensis.*
*(Schedula: de controversia inter capitaneum Pojuriensem et subditos ducis; de Anna Marcinkowa servos profugos repetente).*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 476-476[a].*

Post debitum obsequium, quale impendere Regibus iustitia praescribit.

Conqueritur apud me, Serenissime Clementissimeque Rex, Illustris Princeps Georgius, Marchio Brandenburgensis etc., frater meus, ut cor hoc mihi dilectus, de mora sero sibi redditarum literarum, quas Regia Vestra Maiestas scripsit ad Ioannem Illustrem Ducem Opolensem*). Nam ipso festo die Sancti Galli tandem accepit, quum longe antea[b] desyderarit, qua ex tarditate nonnihil incommodi sensit. Causam morae dedit Illustris Friderichus Dux Lignicensis, sed hunc morbus excusat, vel potius incidit tarditas per eum, qui vices in Legerndorrf[z] absentis fratris gerit. Rogat ergo plurimum Regiam Vestram Maiestatem, quam amat ut patrem, colit ut Regem, denuo scribere dignetur Illustri Principi, Domino Ioanni Duci Opolensi, similiter eius subditis, tales literas, qualia sunt exemplaria, quae una mittuntur, ita videlicet, ut nihil in illis immutetur aut mitigetur in sermonem leniorem. Nam verba hortantia sunt et rectius instruentia, non minantia. Certe supervacanea hoc loco erit providentia mitius loquendi meo iuditio, ex quo Regia Vestra Maiestas pari ferme severitate in eodem negocio commonuerit Serenissimum Regem Ferdinandum. Optat autem literas mitti Latinas, Germanicas et Bohemicas, lingua diversas, tenore sententiarum easdem. Priorum generum exemplaria mittuntur*, Bohemicas formabunt scribae Regiae Vestrae Maiestatis. Nil arbitror posse videri liberius aut acerbius dici, quod vir aequus valeat in deterius interpretari, ex quo iustissima caussa defenditur a patrono Rege et officium exhibetur sanguine coniunctis. Quod aliquoties conceditur in re non admodum proba, tantum abest, ut reprehensionem sit pariturum, quod ius aequum in negotio commendat.

Hoc ipsum beneficium ut exhibere haud gravatim pergat Regia Vestra Maiestas, suppliciter et enixe una cum fratre precor praestare familiae Marchionum Brandenburgensium, multis modis Regiae Vestrae Serenitati deditorum, non ideo solum, quod bonae causae succurretur per regiam auctoritatem, quin etiam, quod valde regium ducitur vim patientibus auxilium conferre contra iniuriam, qualis hic haud obscure committitur, et eorum conatus frangere, qui bonum aequum facto fuco nituntur obliterare. Quandoquidem, quatenus datur intelligi, sunt qui optimum senem, Ioannem Ducem Opolensem, technis quibusdam student a recta via in devium abducere, uti ex quadam responsione, ad Regiam Vestram Maiestatem facta, referunt non obscure licere animadvertere; quam responsionem minime putant ex ingenio ac consilio probatissimi senis, sed aliunde manasse. Quae responsio talis est, quemadmodum perhibent, ut novum pactum cum Serenissimo Rege Ferdinando initum, reluctantem vero ei, quem prius cum

fratre meo statuit, defendere intendat. Praeterea petit frater Georgius et ipse pariter supplex oro, tales literas mitti a Regia Vestra Maiestate ad Serenissimum Regem Ferdinandum, quales negocium hoc expetit, hoc est hortatorias, graves, dissuadentes a vi, vocantes ad iustitiam, quae unicuique suum ius tribuat, commonefacientes, quo favore, gratia, quibus necessitudinum vinculis Regia Vestra Maiestas inclinata sit in familiam Marchionum Brandenburgensium.

Non docetur Regia Vestra Maiestas, hoc est suis Minervam, sed contra vim auxilium querimus a Rege et patre, non quidem armorum, sed consilii et intercessionis. In hoc quoque fecerit nobis Regia Vestra Maiestas gratissimum, si mihi miserit exemplaria literarum, quas conscribet ad Serenissimum Regem Ferdinandum, similiter earum literarum exemplar, quibus respondebit fratri nostro. Iis omnibus diligenter perpensis, a Regia Vestra Maiestate spem magnam concipio una cum charissimo fratre, iustiorem exitum aliquando nasciturum per tam aequam interpellationem Regiae Vestrae Maiestatis. Ob quod studium familia Brandenburgensis Regiae Vestrae Maiestati et Regno Poloniae, quoad poterit, nunquam deses erit ad[c] persolvendum meritum obsequium. Foelicissime valeat Regia Vestra Maiestas. Datum die 15 Decembris 29.

Schedula

Recenset Regia Vestra Maiestas de gravi quaerela offitialis districtus Poiursky in Samogithia, et ut illi iustitia ministretur, expetit. Sciat Regia Vestra Maiestas me parem querelam habere adversus officialem illum. Non potest autem controversia illa melius cognosci, quam quando fines contermini inspitientur. Ad quod tempus peto causam discernendi transferri.

De muliere Anna Martzinkowa repetente servos suos, quos ait morari in meo Ducatu, facilis est transactio iuxta tenorem solennis contractus. Si ante contractum auffugerunt servi illi, iam definita est sententia; si post contractum, iterum stat ius in propatulo in sua via. Quo iure utor, illud contra pugnare nil resisto, secundum contractum illum suos repetat, et facile tollitur omnis controversia.

Ne quid plus aut minus petere videar a Regia Vestra Maiestate, mitto in presens exemplar literarum fratris mei, quibus liquet, quid ille desyderet, quatenus intercessionem meam expetat. Eius petitionis fines tenuisse arbitror. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, XV Decembris.

a) *error in numeratione paginarum.*
b) *sequitur expunctum:* ante
c) *in ms.* ab
z) *sic in ms.*
*) *Cfr. El. XXXIV, N. 148, Annexum I, pp. 174-176.*

*Annexum: litterae a cancellaria ducis Alberti redactae, ut nomine regis ad Ioannem (Ianussium) ducem Opoliensem mittantur in negotio Georgii marchionis Brandenburgensis.*
*Cfr. El. XXXIV, NN. 138, 148, 171.*
*(Versio ex lingua germanica)*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 462-465.*

Redditum ex Germanico in Latinum.

Sigismundus, Dei gratia Rex Poloniae etc.

Illustri Principi Domino Ioanni, Schlesiensi, Opilensi[z] Ratibarensique Duci, avunculo nostro charissimo, salutem.

Quandoquidem Illustrissimus Princeps, nepos noster Dominus Georgius Marchio Brandenburgensis, in Prussia, Stetiniae, Pomeraniae, Cassubarum ac Sclavorum, simul et Schlesiae, Ratibarensis, Iegerdorffensis Dux, Burggravius Nurenburgensis Principsque Rugiae, peracto tempore satis nobis ostendit ac fidem fecit, qua ratione quibusque modis Illustritas Vestra, simulatque Valentinus olim Dux Ratibarensis, vita pie defunctus, pro veteri ac a maioribus accepta, hactenus confirmata honesteque parta libertate, Georgio Marchioni etc. se quondam obstrinxerunt simulque convenerunt, ut post fata Illustritatum Vestrarum Ducatus Opulensis[z] et Ratibarensis cum provintiis, incolis bonisque omnibus memorato nepoti nostro, Georgio Marchioni etc. eiusque heredibus iure hereditario cederent. Hunc contractum vetustis privilegiis dotatum et agnitionem legalem quondam Serenissimus Princeps, frater noster charissimus, Rex Vlatislaus[z], et huius filius Ludovicus, avunculus noster aeque nobis ac parens charissimus, foelicissimae memoriae, primum ob sedulum et fidele dicti nepotis nostri studium offitiumque, deinde ob amicitiam, consanguinitate[a] illustri auctam, non solum adprobarunt, verum etiam pro se, suis haeredibus ac posteris omnibus meliori quadam ratione sanxerunt ac confirmarunt.

In ea re consentientibus tandem Bohemici Regni Ordinibus, in perpetuam rei stabilitatem suis regiis tabulis sanctissime ita mandarunt, subditos Ducatus et Opeliensis[z] et Ratebarensis[z] charissimo nostro nepoti, Marchioni Georgio, idque cum ex Ludovici Regis foelicis memoriae commissione, tum Vestrae Illustritatis consensu, sacramento atque iuramento se obstrinxisse. Deinde in hos Ducatus Illustritas eius, tanquam haereditatem et possessionem, recte ac decenter introducta. Adeo nihil non, quod saltem ad fatiendam confirmandamque fidem faciat, recte atque honeste actum est.

Accepimus vero interea, aemulos quosdam charissimi nepotis nostri, Marchionis Georgii, apud Serenissimum Principem Dominum Ferdinandum, Hungariae ac Bohemiae Regem, charissimum nostrum fratrem, hoc efficere conatos, ne Maiestas eius Regia huic, quanquam confirmato ac privilegiis munito, se subscriberet, neque hactenus a Serenissima Maiestate eius subscriptionem ac confirmationem[b], ea tametsi multis suis ac suorum amicorum praecibus efflagitata est, Illustritas Sua nancisci potuit, quod tamen iure, ut scriptum haeredem, ex dictis atque huiusmodi roboratis causis Serenissimi Regis Maiestatem fecisse oportuit. Verum longe diversum inter Regiam Maiestatem Hungariae ac Bohemiae Vestramque Illustritatem et nepotem nostrum, Marchionem Georgium, evenisse percepimus. Nimirum clam atque insciente Marchione Georgio conspirationem invicem et contractum factum esse atque ita praesumptum, ut praefectos ac subditos dictorum Ducatuum ex factis sacramentis haereditariis, quae Marchioni Georgio, nepoti nostro, praestiterant, in aliud iuramentum contrarium cogerent, his forte causis innixi: Quandoquidem Ludovicus Rex Vestra Illustritate prior fatis[c] concessarat, huiusmodi conspiratam fraternitatem, contractum ac confirmationem cessasse scilicet atque sublatam esse. Quum vero Illustritatem Vestram non lateat, quibus titulis, qua caussa quoque iure hunc ipsum[d] Ratibarensem Ducatum, etiam ante Serenissimi Regis Ludovici fatum[e], orbum suscepit ac usus sit. Quae tum omnia eius Illustritas, habitis et Pragae et nuper Spirae Comitiis, multis argu-

mentis nobis indicavit atque nostrum, tanquam Domini sui et proximi consanguinitate amici, consilium imploravit ac petiit, ne eius Illustritas iure suo aequissimo arceretur et interpelleretur[z].

Porro quia iam saepissime dictus nepos noster, Marchio Georgius, tanta et sanguinis propinquitate et Ducatus Prussiae gratia unice nobis devinctus est, non possumus non in aperta ostensa aequitatis causa iureque optimo Illustritatem eius iuvare.

Quam ob rem cupimus, Illustritas Vestra non aliter, ac ipsi contractus, olim a Regiis Maiestatibus Hungariae ac Bohemiae pro se, suis haeredibus posterisque[f] sequentibus confirmati, indicant, postulant, se ostendat geratque, neque his quicquam diversum vel statuat vel fatiat.

Verum si quid iis diversum actum aut inceptum esset, quam primum ac in universum posthabeat, atque huiusmodi quendam se exhibere, qualem vel decet laudatissimum Principem, quo charissimus noster nepos, Georgius Marchio etc., eiusque heredes optime partis privilegiis atque diu confirmato iure, simulatque Illustritatis Vestrae et Ducatus Opeliensis, suis privilegiis non orbetur. Deinde ut Serenissimorum Vlatislai, fratris nostri unice amati, et Lodovici, avunculi nostri, Sacra Maiestas Regia, honestas et fama (quam equidem non minus post ipsa Maiestatum Suarum fata, quam dum vivi nobiscum versabantur, defendere debemus) illesa et incontaminata servetur, nec minus item laudatissimi Regni Boemici antiqua gloria ac nostra amica voluntas omniumque, quibus ipsa honesti ratio cordi est, benevolentia ac amicitia erga Illustritatem [eius] minuatur, verum magis ac magis illustretur ac augeatur, ne postea huic causae latius agendi occasionem controversia aliqua subministret.

Hoc nos omni benevolentia erga Illustritatem Vestram, quam non minus ac charissimum nepotem fovebimus, et quanquam nihil magis, quam hoc ipsum, Illustritatem Vestram facturam scimus, attamen cupimus Amplitudinis Vestrae cum hoc nostro tabellione responsum, quo quid porro in nepotis nostri charissimi, Georgii Marchionis etc., iuvanda tuendaque nobis aequitatis causa statuendum deliberandumque sit, sciamus. Datum etc.

a) *in ms.* consanguinitati
b) *sequitur expunctum*: factam
c) *in ms.* satis
d) *in ms.* hoc ipsum
e) *in ms.* datum
f) *in ms.* haereditis poterisque
z) *sic in ms.*

Ad Georgium Ducem Opeliensem[z]

Nota mutatis mutandis, literas conficiendas mittendasque ad omnes praefectos, praelatos, dominos equestremque ordinem et communes incolas utriusque Ducatus, Opeliae scilicet et Ratibariae, hanc sentenciam complectentes postulantesque, ne post obitum Illustrissimi Ducis Opeliensis, in efficatiam acceptorum privilegiorum diuque ante confirmatorum contractuum atque magnae partis eorum dicti sacramenti, alio cuiquam quam Marchioni Georgio suisque heredibus cum omnibus arcibus, oppidis, provinciis ac incolis Ducatum praefatum ut veram hereditatem praesentent, neque quenquam ex hac sententia arcere vel contra eam quidquam moliri sinant. Et si quid adversus eam aut actum aut constitutum esset, hoc unum ut[a] agant, quo quam ac in universum posthabeant, nec porro quicquam aut statuant aut statui

sinant, uti se et quosque honestatis candidos, fidos probosque subditos decet, ne Marchio Georgius atque huius haeredes suis veris honestae partis ostensisque et aequitatis caussis orbentur interpellenturque. Hoc Regia Maiestas simulatque Marchio Georgius erga eos gratia rependet benevoleque eos semper et fovebit et tuebitur. At vero haec si facere renuerint, non potest non vel coacta Regia Maiestas Marchioni Georgio, ut eiusdem Maiestatis nepoti, et re et consilio in conservatione iuris et aequitatis suae iuvare. Hoc illis denique praedictum, quo sciant, quid ipsis agendum sit, ne nescios calamitas aliqua sequatur, suumque literis expressum responsum super hac re remittant. Datum etc.

a) *correctum ex*: aut
z) *sic in ms*

*N. 357.*

*E Regio Monte, 15.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de negotio Opoliensi Georgii marchionis Brandenburgensis refert; pro congratulationibus de recuperata valetudine gratias agit; libellum de antidotis contra pestem, a medico suo scriptum, mittit; de immensis damnis ex inaequalitate monetae derivantibus queritur; de suo futuro colloquio cum Friderico duce Legnicensi; de tollendo teloneo; de litteris secretarii regii de obsidione Viennensi acceptis; de tempore inspiciendis finibus statuto ad 2.II.1530 transferendo.*

*Cfr. El. XXXIV, NN. 157, 171.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 477-479.*

Salutatus est aliquando frater noster Georgius etc. Dux Opolensis ex inauguratione per regiam auctoritatem roborata, iurarunt subditi, possessio putabatur firma. Verum quid tempus non mutat, quid non confundit? Antecessorum benignitatem labefactat successorum inclementior voluntas. Non accusamus Serenissimum Regem Ferdinandum, quem scimus probitate eximium Principem, sed de improbitate quorundam conquerimur, callidis atque invidis consiliis animum Regis ab aequo rapere conantium. Inploravit frater noster opem et intercessionem Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi. Inploravi et ego semel et iterum. Regium auxilium paratum invenimus. Sed intercessionibus illis hactenus quaedam obstitere. Proinde regiam eius clementiam denuo expetimus ad prius officium, non dubitantes concessum iri, quod ad necessitatem negocii pertinebit.

Nihilominus tamen ad Illustrem Vestram Magnificentiam confugimus simul ea spe, ut quae regia clementia efficere tentabit, iis sedulitate Illustris Vestrae Magnificentiae paretur cursus celerior expetitiorque. Cognitam multis modis habemus industriam Illustris Magnificentiae Vestrae atque studium in rebus nostris. Ideo et nunc nobis locum petendi concessimus, experiemur sedulitatem, quam nunquam non sumus experti.

Congratulatur nobis Illustris Magnificentia Vestra de bona constituta valetudine atque victoria post ambiguam pugnam vitae et mortis.

Quanquam certo sciebamus congratulationem eam secuturam, singularis tamen voluptas extitit audisse sermonem fratris, primo trepidantem de eventu, quo esset exiturus, deinde pulsa rabie non solum pleno pectore gaudentis, verum etiam supplicia vota persolventis clementissimo Deo. Cuius praesidio tantum bellum confecimus, quo aestuantem Aethnam sensimus guttulisque maduimus XXIIII horarum curriculo perennibus et his duobus minime clementiorem mortis aut furoris conciliatorem somnum. Pro qua tam humana gratulatione vicissim precor, immunem conservet Amplissimam Magnificentiam Vestram cum omnibus suis a tam horrendo sudore, a tam ardenti camino coelestis protectio. Dira conflictatio est vitae et mortis, non tamen admittenda desperatio, modo adsit peritia tegendi ac retegendi sudantem, ne quid in alteram partem peccetur. Cuius rei ignoratio multos abstulit e vivis. Donamus autem Illustrem Magnificentiam Vestram libello, a physico nostro accurate scripto: In eo componuntur antidota salutaria, quorum praesens auxilium sensimus, alia missuri, ubi nacti fuerimus, lucubratiora. Quod vero hactenus a nobis missum, in eo erratum fuit per negligentiam ministrorum.

Quod pertinet non ad rem, sed calamitatem monetariam, praebemus nos obsequentes regiae voluntati, quanto cum damno tum nostro, tum nostrorum subditorum, librum, non epistolam conscriberemus, si vellemus detrimentum commune, quantum est, recensere. Qua de re saepius iam conquesti[a] sumus Regiae Maiestati et Vestrae etiam Illustri Magnificentiae paucos ante dies misimus nunctium cum litteris, quas iam allatas putamus. Nil amplius. Venit summum tempus, ut Regia Maiestas aut aequalitatem procuret, aut sinat nos per rebellionem Danciscanorum trudi in damnum irrecuperabile. Tollatur mora.

Quae Dux Illustris Friderichus Liginicensis[z] nobiscum colloquium cupiat secretius de summa rerum, praeter coniecturam nil habemus. Illius exemplar literarum Illustri Magnificentiae Vestrae mittimus. Nil vult confidere carthis. Ubi commode possumus, conveniemus collocuturi sine arbitris consulturique, quonam pacto contra mala ingruentia remedium paremus. Quid tum temporis dederit nobis, intelliget Illustris Magnificentia Vestra. Quae ut interim animum in varia consilia vertat, ratio providentiae postulat.

De tollendo thelonio promittit Illustris Magnificentia Vestra omne studium, pro quo gratias agimus et vicissim omnem nostram operam pollicemur.

Secretarii regii literas de obsidione Viennensi accepimus. Dira fuit oppugnatio sanguinarii tyranni et capitalis christianorum. Gratias agimus Illustri Magnificentiae Vestrae, et ut alia nobis impertiat, quae tempus suggerit, rogamus. Ante omnia praecipuum gaudium attulit narratio de Regis, Domini nostri clementissimi, restituta optima valetudine. Eam bonorum largitor Deus incolumem nobis conservet in multos annos.

Petivimus, tempus inspitiendorum limitum inter Lithuaniam et Prussiam Regia Maiestas transferat a festo Epiphaniae Domini ad purificationem Mariae Sacratissimae Virginis. Iustissima et exoptata causa[b] extitit, quod ad Epiphaniam filiolus noster regenerabitur in sacro

fonte, quo tempore domi nos esse oportebit et offitium hospitalitatis praeclaris susceptoribus exhibere. Eam prorogationem promovere dignetur Illustris Magnificentia Vestra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christopherum Schidlowitzky, XV Decembris.

a) *sequitur expunctum:* iam conquesti
b) *sequitur expunctum:* causa
z) *sic in ms.*

*N. 358.*

*E Regio Monte, 15.XI.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario,*
*de Ducatu Opoliensi Georgio marchioni Brandenburgensi iam collato, nunc autem quorundam invidorum artificiis in alios transferendo.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 480.*

Salvam peroptamus Reverendissimam Vestram Paternitatem, cui cupimus commendatos nos esse.

Recta et legittima duorum[a] Regum auctoritate collatum Illustri fratri nostro Georgio, Marchioni Brandenburgensi, Ducatum Opolensem iam in alios transferre minatur sua inconstantia fortuna, in omni re dominans technas suas, eo conferentibus quibusdam, quos minime decuit. Non accusamus Serenissimum Regem Ferdinandum, de quo non nisi optimum eximiumque concipimus, sed illorum conatus, qui sua invidia vel avaritia, aut aliis malis artibus, non cessant iustissimum Regem corrumpere, suspectos habemus. Contra quam iniuriam hucusque ad opem Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, aliquoties confugimus utrique, et frater Georgius et nos. Non denegavit nobis suum praesidium regia benignitas. Iam denuo, rebus adhuc laborantibus ac pene peius quam prius habentibus, ab unico illo praesidio opem petimus, quae procul dubio nobis benigne impartietur. Ad cuius spei expeditiorem progressum simul imploramus operam studiumque Reverendissimae Vestrae Paternitatis, cuius industria rebus vexatis norit afferre remedium, ingenium necessaria inquirere, eruditio aequo bono patrocinari. Oramus igitur iterum atque iterum[b], Reverendissima Vestra Paternitas non deserat nos, contra vim sapientiam optimi Praesulis invocantes. Pro quo benefitio semper gratos animos geremus erga Reverendissimam Paternitatem Vestram, quam fratris atque patris loco merito colimus. Bene valeat eadem Reverendissima Paternitas Vestra. Datum 15 die Decembris 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Episcopum Cracoviensem, XV Decembris.

a) *sequitur expunctum:* fratrum
b) *sequitur expunctum:* Oramus igitur

N. 359.

E Regio Monte, 15.XI.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*de negotio Georgii marchionis Brandenburgensis, de tempore inspiciendis finibus statuto ad 2.II.1530 differendo.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 161.*

*Ostpr. Fol:, vol. 48, ff. 480-481.*

In re nota non est sapientis per ambages narrationem disponere. Constat Reverendae Dominationi [Vestrae], quamadmodum ludet[z] fortuna, infida domina, cum Illustri fratre nostro Georgio, Marchione[a] Brandenburgensi. Cuius adversis casibus turbamur aeque ac propriis, si non amplius. Imploratum aliquoties regium auxilium; profuit illud, quantum quorundam invidia prodesse passa. De Serenissimo Rege Ferdinando nil, nisi quae honestissima sunt, sentimus. Sed quod quorundam mala studia ius pervertere volunt, hoc aegre ferimus.

Confugimus ergo iterum ad regiam opem, et frater charissimus simul et nos, quam nobis plena fiducia pollicemur. Pro faciliori tamen expeditione studium Reverendae Dominationis Vestrae impendi desyderamus. Cuius diligentiam nullo unquam in negotio segnem fuisse re ipsa experti sumus. Pergat et in praesentia ac pulchrum sibi ducat caussae iustissimae patrocinari. Cuius beneficii nunquam erimus immemores.

Ad Epiphaniam Dominicam recens natum nobis filiolum curabimus in sacro fonte regenerare et festos aliquot dies cum praeclaris susceptoribus ac catechistis agere. Quo fit, ut eo tempore inspiciendis terminis inter Lithuaniam et Prussiam istinc adesse nequeamus. Petivimus statutum illud tempus a Regia Maiestate transferri[b] ad Purificationem Sacratissimae Virginis Mariae. Hoc nostrum votum promovebit apud nostrum clementissimum Regem Reverenda Dominatio Vestra, quam cupimus bene valere. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Ioannem Coinsky, ut supra.

a) *in ms.* Marchioni
b) *correctum ex:* transferre
z) *sic in ms.*

N. 360.

E Regio Monte, 15.XII.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio et zuppario Cracoviensi,*
*de cupro rubro sibi procurando et per Vistulam Gedanum transportando.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 170.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 51.*

Ann Severin Baner denn 15 tag Decembris.

Wir haben euer schreiben, darinne yr uns uf des kupffer, wes ein izlichs zu keuffen und auch die Weissel furder zu fhuren, stehet sampt

etlichen neuen zeitungen und eurer dinstlichen willigen erpieten unterrichtliche meldung, thut alles seins inhalts in lattein gescheen, horen lessen. Bedancken uns solchs allenthalben ufs genedigst und begern bitlichen, ir wollet forder, so ir zuvellige botschaft zu uns haben werdeth, nicht unterlassen uns neue zeitung, wes ir eer in erfarungk kommet, mitzuteilen etc. Wollen wir nochmals an euch genediglich begert haben, das ir uns hundert cenntner rots kupfers ufs negste, so ir möget erkeuffen und dasselbige die Weissel herab gen Danczigk bestellen und vorschaffen wollet, also das wier solch kupffer uf die fast schirsten bekommen mogen, und wes es allenthalben zu keuffen und zu fhuren gestehet, sallet ir euch von dem gelde, so uns ko.mt. uf Ostern schirsten schuldig wirdt. Und wir wellen solchs darzu in gnaden umb euch beschulden. Datum Konigspergk ut supra.

*N. 361.*

*S.l., 16.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*pro diligentia in promovendo negotio Opoliensi Georgii marchionis Brandenburgensis adhibita gratias agit; rogat, ut procrastinationem termini revidendorum limitum inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae apud regem impetrare conetur; de filio sibi recens nato nuntiat.*

*Cfr. El. XLVI, N. 21.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 50-50v.*

An Nickel Niptitz den 16 Decembris.

Wir bedancken uns kegen dir in allen gnaden des vleis, den du uns mit erfarung in unsers freuntlichen, lieben bruders, marggraff Georgen[1], sachen, des hertzogthumb Oppelnn belangende, angekart hast, und begeren noch bitlichen von dir, du wollest hinforder deinen besten vleis nicht untherlassen, gnantem unserm freuntlichen, lieben bruder zum besten hierinne erfarung zu erlangen und uns dieselbige unverhalten zuschreyben.

Wir haben auch ytzunder unserm lieben freunden, dem herren bischoff zu Crakaw[2], herren Schidlowitz[3] und herren Coinssky[4] in solcher sachen geschrieben. Bey demselbigen wollest zu gelegener zeit helffen erinnerung thun, damit die sachen bey ynen gefordert worde. Desgleichen schreiben wir auch ko.mt. und dabey obgenante unsern freunden, das die besichtigung der grenitzen zwuschen dem grosfurstenthumb Litthawen und unserm hertzogthumb Preussen biss uff Lichtmesse mochte uffgeschoben werden, angesehen das in dieser nesse und ehr alle brucher und fliesser gefroren und bestanden, solhe grenitze zu gehen und zu besichtigen nicht woll moglich.

So hat uns auch Got der almechtige mit einem jungen sone genediglichen begabet und erfreuet, der sampt der mutter, Got lob, noch gelegenhait frisch und gesunth; welchs wir Got dem almechtigen dancken und sein bedacht, solchen unsern lieben sone, will Got, uff Trium Regum schirsten cristlichen zu teuffen lassen. Darauf wir dann ko.mt., yer mt. eldiste tochter, her Schidlowitz, hertzog Georgen von Schlutzky[5]

und die hertzogin in der Masaw[6] zu gefattern gebeten. Begeren von dir abermalhs bitlichen, du wollest uff solhe zeit auch bey uns erscheinen, dich mit uns frewen, denn wir dich als unsern besondern lieben diener hierbey gerne wissen, wolten wir dir gnediger maynung nicht verhalten und dir mit gnaden seindt wir alzeit gnaigt. Datum ut supra.

1) *Georgius marchio Brandenburgensis.*
2) *Petrus Tomicki.*
3) *Christophorus Szydlowiecki.*
4) *Ioannes Chojeński.*
5) *Georgius dux Slucensis.*
6) *Anna dux Masoviae.*

*N. 362.*

*E Regio Monte, 24.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Adriano Gołyński, castellano Czernensi,*
*ad secundas litteras eius intercessorias pro Matthia Dorsz, mercatore Przasnissiensi, respondet et ait se iterum hac in re praefecto suo Ortelsburgensi (Szczytnensi) scripsisse.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, NN. 155, 162.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 475.*

*N. 363.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de filio regis, Sigismundo Augusto, procerum omnium consensu in Regem Poloniae designato gaudet et gratulatur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 481-484.*

Obsequium, quale requirit populorum moderatrix iustitia a subdito deditissimoque Principe erga suum Regem, potentia maiorem, sanguine avunculum, hoc est patrem, non tam verbis quam animo offero Regiae Vestrae Maiestati, qua cum laetor, gaudeo, manus ad coelum tendo, ut ratio postulat in re praesenti, ut pietas suadet in foelicitate benefactorem Deum agnoscere. Scribit ad me vir magnus et illustris, Christophorus Schidlowitzky, quem fratris loco et habeo et colo, die decimo octavo praesentis mensis[a] Serenissimum Sigismundum Augustum, Maiestatis Vestrae dilectissimum filium, procerum omnium consensu magno designatum in Regem Poloniae. Et nunc nihil superesse, quod ad tale fastigium desyderetur, praeter coronam, augustale ornamentum dio capiti imponendum. Quam inaugurationem factam fuisse affirmat, Regia Vestra Maiestate eo tempore nil minus cogitante, sed in negotio longe alio occupata.

Dici non potest, quali quantoque gaudio perfundebar ista legens et audiens. Congruebant omnia: votum, nunctium, tempus, quandoquidem nil aeque in votis habui ex eo tempore, quo me subdidi sceptro Re-

giae Vestrae Maiestatis, quam ut patriae potentiae, honoris[b], sublimitatis haeres efficeretur ex longa Regum serie procreatus Sigismundus Augustus, qui ut natus est e Rege, ita multa in se regia specimina edit. Cogitabamque hoc ad regium fastigium elato, nationes et populos, Regno Poloniae subiectos, in pace firma victuros, quae aliquando labefactatur, quando ad alios transfertur sceptrum, perpendebamque mecum eum honorem ad me quoque pertinere, cui cum Rege tanta esset sanguinis necessitudo. Non fefellit spes. Venit desyderatum nunctium. Salutatus est Rex Sigismundus Augustus. Hoc nihil gratius auditu mihi evenire potuit. Laus beneficentissimo Deo, a quo Reges et sceptra dantur, quod meum gaudium accommodato casu condivit temporis opportunitas.

Iam resonabat Ecclesia Dei, laetos cantus sic repetens: Crastina erit vobis salus, dicit Dominus Deus exercituum. Nam in crastinum venturus erat natalis Christi Servatoris, Regis Regum, Domini Dominantium. Ex qua temporis tam bene occurrente opportunitate sumo mihi laetissimum omen, sumo interpretationem: quidquid gestum est, esse gestum non sine numine et instinctu coelesti. Versus est maeror in laetitiam, tristitia[c] in gaudium. Multa mihi hoc anno contigerunt adversa: aegrotavit periculose Rex, cuius vita aeque mihi chara est ao mea; sudavi cum charissima uxore sudore laetali, ne quid amplius recenseam sudore nil mitius. Convaluit Rex, quo bene habente mecum quoque bene agitur. Commutavit supernus favor luctuosa in laeta. Datus est mihi filiolus, tristia omnia, ut sol nubila, discutiens. Cuius filioli Regia Vestra Maiestas magnus avunculus est. Paulo post, ceu novum sydus lucens in haec Regna, ut narratur mihi, esse destinatum Regem Sigismundum Augustum. Pecus sim, si tot beneficiis non agnoscerem Dei benivolentiam.

Gaudeo itaque et iterum vehementer gaudeo cum patre Rege, cui data est divinitus ea foelicitas, ut ipse iuvenis viderit patrem Regem, et nunc in annis maturioribus conspiceatur[z] filium Regem, post se sceptro populos moderaturum. Gaudeo cum Rege recens declarato, quo cum mihi intercedunt tam magna necessitudinum vincula. Gaudeo loco filioli mei, cui in cunis datus[d] est Rex, prae quo nulli alii velit parere, si iustos ad annos, ut speramus et petimus, pervenerit. Inter foelicia numero, quod Rex, cui subditus sum, mihi avunculus est, et arbitror Regiam Vestram Maiestatem statuere[e] aliquo loco honoris sub se habere Principem, sororis filium. Verum hanc nostram foelicitatem non nihil carpit aetas consumatior. Regem Sigismundum et filiolum meum secuturi sunt anni diuturniores. De sanitate eorum optima spero, quorum initia et vitae et honoris tam laeta et fausta sunt. Gratulor Regno Poloniae, gratulor Regiae Vestrae Maiestati; illi, quod Regem petiit, de quo, edoctum e maiorum probitate, non nisi optima debent sperare; Regiae Vestrae Maiestati, quod habeat sedentem secum in solio filium. Atque inter haec gaudia, inter has congratulationes pias preces, supplitia vota persolvo benefactori Deo, orans ex imo pectore, omnia bene progrediantur, foeliciter, fauste atque fortunate, ut ea foelicitas Regiae Vestrae Maiestatis augeatur non multos post [annos] nova sobole novi Regis, quo Rex non solum videat Regem filium, sed ex longo ordine optatos nepotes. Amen.

Illud autem hortor, moneo, oro: Regia Vestra Maiestas non in longum tempus proroget postremum actum imponendae coronae. Quo tempore si quid opus erit meo studio et praesentia, moram geram

voluntati Regiae Vestrae Maiestatis, quemadmodum par erit iuxta datam fidem. Subdito Principi praecipiat, mandet, iubeat cum omnibus suis. Oro autem, Christus Dominus, cuius hodie annuum natalem recolimus, integrum, sanum, incolumem in multos annos conservet eam ipsam Regiam Vestram Maiestatem, cui me commendo. Datum e Regio Monte[f] anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, die XXV Decembris.

a) *in ms.* mentis
b) honoris *bis scriptum.*
c) *in ms.* tristitiam
d) *verbum correctum.*
e) *in ms.* statuero
f) *supra lineam expunctum:* XXV Decembris
z) *sic in ms.*

*N. 364.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo Augusto regi Poloniae iuniori*
*de regia dignitate ei collata gaudet et gratulatur.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 484-485.*

Salvam Serenitatem Vestram esse percupio, Sigismunde Auguste, Rex designate. Cui voluntatem obsequendi offero.

Magnum mihi gaudium attulit, pro vix tota aetate contigit audire acceptius, nunctium de Serenitate Vestra, cui sit sceptrum Regni Polonici demandatum concorde optimatum consensu. Non solum ideo, quod regium nomen semper extitit venerabile in terris, honorificum, antiquitate commendatum Sacris Literis, verum etiam quod nationibus et populis, Regno Poloniae parentibus, optime consultum video, praescisis[z] videlicet occasionibus discordiarum, quae ex electione oboriri solent non raro, quando non mature succurritur providentia in pernitiem rerum publicarum. Igitur iterum atque iterum gratulor Serenitati Vestrae precans, divina bonitas, quae coepta bene sunt, dignetur in seros usque annos bona, fausta, foelitia fortunataque conservare et conservata melioribus continuo incrementis adaugere, ut sacrosancta illa dignitas, longa serie in Serenitatem Vestram deducta, magna cum gloria crescat deriveturque pari foelicitate successionis ad posteros stirpis regiae. Quod animo sentio, calamo significo, nil nisi laetum foelixque toto[z] aetati Serenitatis Vestrae precor et exopto, cuius fortunati successus in me meosque transeunt, cuius honor quadam ex parte mihi quoque communis fit. Ex quo tali loco aediti sumus, quod Regia Vestra Serenitas patrem habeat Regem integerrimum, cuius ex sorore ipse ortum coepi. Ubi est communis generis propago, communis quoque efficitur honoris atque dignitatis accessio. Quo magis Serenitas Vestra gloria, laude atque virtute altius surget, hoc magis mihi liberisque meis splendor accrescet. Quo fit, ut vix alium evectio illa ad regium fastigium perinde ac me ita exhilaret, ita recreet in animo. Superest, ut sereno capiti vestro imponatur corona, regale ornamentum, ac in manus tradatur sceptrum, Regni insigne. Ad quam inaugurationem si quid in me est, quod expetetur, non obliviscar officium fidi probique Principis. Nunc supliciter peto eum, in cuius manu Reges sunt, bene coepta

propicius dirigat in laudem et gloriam nominis sui. Optime valeat Regia Vestra Serenitas, quae ut commendatum me habeat, plurimum oro. Datum in Regio Monte natali Dominico anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Sigismundum Augustum designatum Regem Poloniae, ut supra.

z) *sic in ms.*

*N. 365.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*de dignitate regia in Sigismundum Augustum collata gratulatur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 485-487.*

Obsequium, quod multiplex Regiae Vestrae Celsitudini debeo, semper agnoscam et volens impendam, quando honor filii matris sit gaudium, Bona Regina Illustrissima Clementissimaque. Libet Serenitati Vestrae ob collatam regiam dignitatem Serenissimo Sigismundo Augusto gratulari, hoc est, dum cum designati Regis matre colloquor, ipse pariter mei animi laetitiam explicem. Nihil etenim ibi gestum est et geritur, quod ad patrem Regem pertineat, quod ad Reginam matrem spectet, quod declaratum Regem exornet, quod non in me quoque copiose retundet, quem primo in hunc divum coetum inseruit generis propinquitas, deinde fides parendi promissa clementissimo meo Regi Sigismundo, quem pro avunculo patrem habeo et colo.

Multa concurrunt, Regina nobilissima, quae nomen Regiae Vestrae Celsitudinis alioqui clarum efficiunt in orbe terrarum illustrius atque magis eximium. Non repeto generis claritudinem, unde nobis orta est Regina Bona, non Regem coniugem propagatum ex longo Regum ordine, potentia magnum, sapientia nobilitatum: non enim recipit epistolii angustia. Propius est, quod uno anno vidit gloriosum filium Serenitas Vestra ad geminum solium exaltatum mira foelicitate atque successu. Gloriosum est esse Magnum Ducem Lithuaniae, potentia Regibus parem. In eum gradum evectus est Sigismundus Augustus. Spectavit mater et spectati honoris particeps extitit. Abiit tempus non ita[a] longum, ad priorem honorificentiam accumulatur regia dignitas, venerabile nomen in terris. Adstitit vel non procul abfuit Regina mater. Audivit filium suum, pignus[b] charissimum, salutari Regem, qua non est alia salutatio honoratior; quod impendebatur, penetravit in pectus maternum. Quid potest[c] tempore tam brevi uni[d] matronae contingere laetius, quid expetibilius? Legimus mulieres quasdam laetitia mortuas, quod audierant filios suos victoriam reportasse in Olympico certamine. Quantulum vero illud extiterat, si ad cumulum dignitatis atque gaudiorum Regiae Vestrae Maiestatis conferatur? Ibi se exercuit ad inanem gloriam Graecorum vanitas, hic solida virtute ascenditur ad eius honoris gradus, quo nihil est in humanis excellentius. Ibi gratum spectaculum offerebatur Iovi, commentitio deo, hic conditori omnium laudatissima servitus impenditur. Sunt enim in administratione Rerum

Publicarum primi Dei ministri Reges. Ibi putabantur matronae e vita optime discessisse, quando in tanta foelicitate, quae tamen nulla erat, excesserant e vivis, hic foelici matri Bonae Reginae, quae verum Deum colit et pro tantis beneficiis supplices preces fundit, praemium piae mentis persolvitur, ut producta aetatem multos annos quam diutissime sedeat in solio cum Rege filio eique sua prudentia iustitiaque onus administrandi faciat levius. Quod de multis sanctis matronis produnt Sacrae Literae.

Non possum ergo in summo gaudio Regiae Vestrae Celsitudini, cui tot se modi foelicitatis accommodant, non gratulari, frontem exporrigere, significare simul laetos animi mei motus, et non tantum gratulari Regiae Vestrae Maiestati, quin etiam toto[z] Regno Polonico, cuius salus agitur. Cerebrum profecto habuerunt optimates Regni, qui e regia stirpe sibi Regem elegerunt. Raro absque incommodis et discordiis in alios per electiones transfertur summa rerum; salutarior esse solet humano generi post patres filiorum ad gubernacula rerum successio. Hoc illi perspexerunt, in hoc fuerunt sapientes. Faciat clementissimus Deus, cuius consilio procul dubio res coepta est, caetera in posterum secutura pari successu progrediantur. Hoc peto, hoc rogo, in hoc pendent tota vota mea. Si quid erit, in quo ad praesens negotium opera mea prodesse poterit, sum Regiae Maiestati subditus Princeps, quod iusserit, expediam pro omnibus viribus. Bene valeat Regia Vestra Celsitudo, cui me commendo. Datum e Regio Monte die natalis christiani anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Bonam Reginam Poloniae, ut supra.

a) ita *bis scriptum.*
b) *in ms.* pigmus
c) *sequitur verbum expunctum.*
d) *in ms.* une
z) *sic in ms.*

*N. 366.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de Sigismundo Augusto ad regiam dignitatem evecto gaudet.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 163.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff.487-489.*

Si Illustris Magnificentia Vestra recte valet et caetera bene habent, satis fit nostris votis. Equidem salus Illustris Magnificentiae Vestrae aeque nobis chara est ac propria.

Quando litterae Illustris Magnificentiae Vestrae, etiam ubi parum optata apportant, ut ferunt haec tempora, nobis semper gratae fuerunt, in promptu est coniectura, qua gratia proxime advenerint, aureae, beatae, regiae. Me hercle, prudenter egit Illustris Magnificentia Vestra, quod citra moram factum pluribus numeris absolutum nobis indicare non distulerit. Agnosco fraternos affectus ex eo, quod gaudium suum imperfectum putavit Illustris Magnificentia Vestra, nisi quam primum mecum communicaretur. Augentur namque gaudia ex communicatione

cum amicis simul congaudentibus, quemadmodum tristitiae decedit aliquid, ubi adsunt qui ima nobiscum condolent. Laudo celeritatem nunctii, qua perfectum est, ut plenior consurgeret laetitia. Nam quo tardior est rei laetae significatio, hoc minor se ipsa efficitur nunctii gratia. Non huc pertinet expositio summi gaudii nostri apud fratrem, cui intus et in cute noti sumus, cui abunde constat amor noster et observantia erga Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum. Inepti simus, si velimus recensere, quae commoda procurata sint e matura illa electione ac minime contentiosa Regno Poloniae et populis illi subiectis, quae moles detrimentorum declinata, facile irruptorum in statum publicum, nisi per hunc modum contra minantia inventum esset salutare praesidium.

Alienum sit a proposito inquirere, quot modis conducibilius habeatur principatus et sceptra a patribus ad filios transire, quam procerum suffragiis ad alios transferri; vix enim illa explicarentur copiosa elaborataque oratione. Propius est, quod sic refert Illustris Magnificentia Vestra: Rex noster et nos nihil heri mane de hoc meditati sumus. Ex quibus verbis facile colligo, ex quo negocium usque adeo arduum tam facilem progressum habuerit, procuratum esse singulari Dei favore. Contra cuius voluntatem quamquam nihil geri potest, nec foliolum de arbore decidere, de perversis tamen Regibus ac Principibus subsannanter dicitur: Ipsi regnarunt, sed non ex me. Age quibus verbis satis pro laudis praeconio poterit exponi studium Illustris Magnificentiae Vestrae, a qua tantum sermonis ac laboris in foelicissimo Senatu confectum est. Deinde quam provide, quam amice factum, quod praeter ullam procrastinationem suum pocillatorem, virum nobilem, ad nos invisendos atque salutandos miserit, quo foelicis gaudii participes efficeremur et in gratiis persolvendis Regum Datori Deo socii. Gaudemus sane ac iterum atque iterum vehementer gaudemus, atque hoc nostrum gaudium et pias gratiarum actiones parvas ducimus, nisi habeamus populum nostrum laeticiae consortem.

Agebantur pervigiliae Natalis Dominici. Sequenti die conveniente populo ad christiana misteria, curavimus Sigismundi Augusti ad regium fastigium acciti declarationem per sacros praecones in publicum proclamari et communem multitudinem ad divinam opem implorandam provocare. Quibus supplicationibus et nos interfuimus tonso pectore, coelestem favorem invocantes, quem nullo modo ambigimus in sequentibus aspiraturum, cuius praesentiam in initio minime lenibus[a] indiciis sensimus. Ergo gaudeo pleno corde cum Illustri Magnificentia Vestra, gaudeo cum foelicissimo Regno Poloniae, denique gaudeo meo nomine et omnium meorum, quibus omnibus bonum hoc datum est divinitus eo tempore, quo maxime res praesentes expetebant.

Quod autem Illustris Magnificentia Vestra promittit se curaturam, ut ad postremum actum, solemnis videlicet coronationis, advocemur, quo sponsionem nostram pro conservandis a coronando Rege libertatibus, iuribus, privilegiis Regni Poloniae interponamus, iterum agnoscimus officium fidi amici et fratris sic promoventis regiam sublimitatem, ut cupiat partem honoris in nos transfundi. Subiectionem agnoscimus datamque[b] fidem Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo. Quod illi visum fuerit, quod iusserit, nos qua decet obedientia exequemur.

Quod in calce epistolae commendat nobis Illustris Magnificentia Vestra Ioannem Stanislaum a Steinberg, tam libenter virum illum com-

mendatum habemus ac quacunque in re possumus, ei gratificabimus, quam libens nobis commendat ipsum Illustris Magnificentia Vestra, praesertim quod intelligimus ipsum charum esse eidem Magnificentiae Vestrae, cui qui chari sunt, nobis quoque sunt chari. Optime valeat cum omnibus suis Illustris Magnificentia Vestra, Frater charissime. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitz, ut supra.

a) *error pro:* levibus?
b) *in ms.* datumque

*N. 367.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de Gedanensibus et Elbingensibus regiis edictis in re monetaria latis non parentibus queritur et intercessionem apud regem expetit.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 160.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 489-490.*

Squalent, credimus, fraquentibus querelis de incommodo novationis monetae aures Amplissimae Dominationis Vestrae. Nec tamen adhuc finem facimus conquerendi, quoniam dum manet vulnus, manet dolor, quam diu augetur iniuria, implorat opem cui vis infertur. Non recipit epistolaris brevitas, quae incommoda, quae detrimenta, quas iustissimas querimonias per Ducatum nostrum peperit licentia Danciscanorum ac Elbingensium, ausorum regia edicta respuere ac usum monetarium sibi talem statuere, qui in reliquos nocentissime latrocinetur. Consolatur nos spes melior futurorum[a]. At frontem non habet inverecunda avaritia rebellium. Celebrata sunt Comitia Marienburgi nuper ad ipsa Martinalia, consultum est acriter utrinque ab ordinibus Regiae Maiestatis et a nostris nunctiis, ut sublata tam nocenti malo salus repararetur Reipublicae et honor regius custodiretur. Placuit toto[z] consessui, ut quod iam pridem definitum fuerat Marienburgi consensu omnium regiisque edictis iussibus severiter confirmatum, maneret in suo.

Solum duae civitates, Gedanum et Elbingum, temerario ausu veritae non sunt obstrepere, dictitantes se velle rem ad cognitionem regiam referre, quasi hactenus non simus ad vivum usque corrosi. Nunc etiam, perinde ac si per introductas technas de prorogando ius habeant in nostra vitalia cupiunt grassari. Cogimur itaque summa necessitate opem Magnificentiae Vestrae implorare, ut studium suum interponat, quo minus prebeat aures vel assensum Regia Maiestas nocentissimis narratoribus, priusquam veniant alii veriores narratores ex iis, qui interfuerunt ex parte regia. Mittemus et in brevi nunctios pro declaratione animi nostri. Tantum effitiat Magnificentia Vestra, ne illis prosit sua praecursio et nobis obsit levis morula. Siquidem re bene exposita non dubitamus, quin Regia Maiestas praefractam licentiam compulsura sit ad debitum officium, ne deinceps fiat, ut morigeris regio edicto

cedat sua obedientia in summum detrimentum, immorigeris vero pariat fructum et incrementum audax licentia. Qua inaequalitate nil potest dici nocentius. Et me hercle, nisi Regia Maiestas nobis succurrat in hac necessitate, plane perditi sumus, perdita est et tota nostra regio. Qualis honor inde nascetur Regiae Maiestati et Regno Poloniae, res ipsa testabitur. Quod volumus, Amplissima Magnificentia Vestra imis sensibus reponat. Quam cupimus foelicissime valere.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitzky, ut supra.

a) *supra lineam verbum:* nos *non expunctum.*
z) *sic in ms.*

*N. 368.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi,*
*de Gedanensium et Elbingensium regiis edictis in re monetaria promulgatis inoboedientia et de damnis inde exorientibus.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 172.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 490-492.*

*N. 369.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Ławski, vexillifero Varsaviensi,*
*absente hoc tempore Friderico ab Heydeck (in ms.* seniore Hedeck), *ad quem ea res etiam pertineat, nihil se nunc in causa sua facere posse respondet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 475-476.*

*N. 370.*

*E Regio Monte, 25.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*de Gedanensibus et Elbingensibus edictis regiis in negotio monetario editis non obtemperantibus queritur et rogat, ut regium responsum eis hac in re dandum consilio suo differat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 161.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 492-493.*

N. 371.

E Regio Monte, 27.XII.1529.

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de filii sibi recens nati gravi aegritudine; de conventu et colloquio suo futuro cum Friderico duce Legnicensi occasione coronationis electi regis Poloniae iunioris habendo; de exercitu regis Ferdinandi ab eo prorsus dimisso.*

*(Schedula: commendat negotium Georgii marchionis Brandenburgensis).*

*Cfr. El. XXXIV, N. 171.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 495-497.*

Si quis adversus casus, si quae calamitas repentina, si quae[a] denique fortuna, omnia versans multumque iuris iniqui sibi in rebus mortalium vendicans, superum beneficio largita bona laetaque omnia turbare atque iis velut invidia perpetua aegritudinem aliquam adiicere solet, est id ipsum equidem nostris iam dudum exoptatis et tandem ab omnium maximarum rerum bonarumque datore exoratis datisque donis et summis gaudiis factum. Nam altera luce, posteaquam Illustris Magnificentiae Vestrae literae per pocillatorem eiusdem Magnificentiae Vestrae, virum nobilem, porrectae sunt, repens laetalisque afflictio atque aegritudo tantillum filium, unicam spem nostram, corripiens pene ad defectionem mortemque horrendam, quicquid fuit nobis usque laetae rei speique sustulit, neque dum cruciatu levatus, sed usque aegre spiritum trahens adfligitur. Quo casu atque infortunio cum nos maxime turbati, ut qui parens, cui sua pignora chara sunt, tum suavissima nostra coniux[1], alioqui ob recentis partus naturaeque imbecillis labores aegra, in atrocem infirmitatem, timens charissimis suis visceribus pene collapsa. Ita hoc tempore fortuna improba, infoelitiora minitans (quod tamen Christus, unica spes nostra, prohibeat), duobus maximis malis nobiscum ludit. Filiolus infans cum morte, rerum omnium durissima, misere conflictatur. Charissima coniux sic languore ac imbecillitate cricumsepta, ut quid salutis speique reliquum sit, dubitari possit; nihilque tandem relictum usquam pharmaci aut humanae opis, nisi in eo, qui solus supremus omnium medicus solusque mortalibus aegritudinem adimere, levare mederique potens est, in cuius voluntate meliora sperantes, haec omnia, utcumque adversa, constituimus atque relinquimus.

Porro non latet Illustrem Magnificentiam Vestram, non ita dudum Illustrem Principem Friderichum, Ducem Lignicensem, sororium atque fratrem nostrum charissimum, nobis scripsisse de constituendo tempore dieque, quo nostrum Illustritas eius secretum colloquium unice cuperet, multa siquidem, quae tum Regiae Maiestatis, tum nostra referent, adeoque quae tutum non sit chartis mandare, agenda esse affirmans. Qua de re iam secundo Illustritatis eius literas accepimus. Cuius Illustritati non est hoc tempore integrum morem gerere ob eas causas, quod ab Illustri Magnificentia ad coronationem electi Regis, tum etiam alii nonnulli, vocati atque invitati sumus. Quam ob rem consul-

tum videtur, ut Illustris Magnificentia Vestra hoc nobis fraternum officium (quo saepe usi sumus) apud Regiam Maiestatem, clementissimum nostrum Dominum, expediat, quo ad coronationis electi Regis celebritatem Illustris Princeps Friderichus vocari accersirique possit atque ibi tum de summa rerum agere consulereque in medium commode possemus, ne tot itinerum sumptus facere opus sit. Hoc nos erga Illustrem Magnificentiam Vestram, ut fratrem omnium charissimum, pari studio operaque promerebimur.

Novarum rerum apud nos nulla feruntur, et si quae feruntur, tam solet mendax variaque esse fama, ut non tutum sit cuivis adulanti credere. Quod tamen habemus aliorum relatione, Illustri Magnificentiae Vestrae communicamus. Nimirum Serenissimum Regem Ferdinandum exercitum suum in universum dimisisse, quid vero sit causae, latet quidem. Deinde qui Viennam in obsidione tutati sunt, tum equestris tum pedestris ordinis milites, adhuc civitatem occupare neque inde, nisi prius numerato stipendio, pedem conferre volentes. Quae si ita se habent, certior apud Illustrem Magnificentiam Vestram quam nos fama esse potest. Haec Illustri Magnificentiae Vestrae, ut charissimo fratri, non potuimus non communicare. Quam Christo in longos annos valetudine optima commendamus. Datum ut supra.

Schedula

Et quia iam de integro Illustris Marchionis Georgii, fratris nostri, negocium caussaque renovanda contigit, demandata delegataque est oratoribus nostris apud Regiam Maiestatem de ea re agendi provintia; quibus praesentibus Illustris Magnificentia Vestra consilio operaque ne desit, sed apud Regiam Maiestatem pro ea animi benignitate, quam semper intelleximus fratri nostro, Illustri Georgio Marchioni, deditam, negotium eius promoveat iustamque causam defendat. Datum.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitzky, ut supra.

a) *in ms.* qua
1) *Dorothea.*

*N. 372.*

*E Regio Monte, 27.XII.1529.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi,*
*de Sigismundo Augusto unanimi procerum consensu in regem Poloniae designato gaudet et gratulatur.*

*Cfr. El. XXXIV, N. 172.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 494-495.*

Si quid grati ab amico obsequii exhiberi usquam potest, Reverendissime in Christo Pater, Amice ac Frater charissime, ad id nos praestandum nunquam non parati sumus Reverendissimae Paternitati Ves-

trae. Vix litteris consequi possumus, quanto gaudio tripudioque nosstrum et animum et pectus perfudit iam pridem nunctium, quo non acceptius alterum, Serenissimum Principem Sigismundum Augustum Poloniae Regem esse designatum, idque tam unanimi optimatium procerumque consensu atque suffragio, ubi nonnihil laboris esse plerumque solet, variantibus videlicet sententias proceribus, penes quos elegendi ius habetur, ut non tam maturo Reverendissimae Paternitatis Vestrae (quam equidem non dubitamus in ea re primam habuisse) aliorumque magnatum procerumque consilio, quam ei, in cuius manu et voluntate sola mortalium consilia propositaque sunt, tantum bonum, tam arduum, sanctum salutiferumque latissimo Regno Poloniae illiusque subiectis gentibus acceptum referre convenit. Cui soli primum gratias agimus, ut tantorum gaudiorum benigno datori. Deinde gratulamur multis nominibus laudatissimo Regno Poloniae, cui tanta a superis foelicitas tantaque tradendi sceptrum Regni concordia filio Sigismundi, Serenissimi sui Regis clementissimique nostri Domini, contigit. Gratulamur ipsi Serenissimo Principi Sigismundo Augusto electo Regi, ad quem delatum est paterni Regni fastigium, sedentem in solio Maiestatis Regiae insistentemque recte vestigiis parentum Regum[a], quorum prudentiae sapientiaeque sanctitate nil sublimius a Deo exhiberi potest. Gratulamur Serenissimi electi Regis genitrici, Reginae Bonae, Dominae nostrae clementissimae, cui superum favorem non solum foelici partu filium ita natura formaque integra absolutum, ut nihil addi possit, edere, verum etiam eundem omnium consensu concordi Regem designatum sanctissimo Regis titulo compellari salutarique audire atque cum Rege filio Regni sceptra tenere datum esse. Gratulamur denique Reverendissimae Paternitati Vestrae, quam scimus medius fidius huius divini consilii et electionis principem verumque primatem extitisse, quae pro tam prudenti consilio et suffragio primum a Rege electo, deinde a Deo, Rege Optimo Maximoque, gratiam praemiaque digna feret. Denique gratulamur nobis ipsis nostrisque omnibus et gaudemus plurimum eum, cui non tam ob subiectionis sacramentum, quam sanguinis propinquitatem (quibus phas et iura multa multa debent) omnia fausta secundaque a nobis precanda sunt, ad regiam sublimitatem evectum esse. Cui, quod ad nos nostrosque attinet, eam reverentiam eamque subiectionem, qua sancte Sigismundi Serenissimi Regis, parentis sui ac Domini nostri clementissimi, Sacram Maiestatem coluimus colimusque, sedulo exhibebimus. Christus modo hoc nostrum gaudium quam diutissime servet Regique electo imperium fortunet ac Regnum Poloniae in nominis sui gloriam celebratum in ultimis terrarum orbis finibus, celebrius et magnificentius augeat. Cui Reverendissimae Paternitatis Vestrae, ut fratris nostri charissimi, salutem sanitatemque commendamus. Iterum atque iterum valeat Reverendissima Vestra Paternitas. Datum 27 Decembris anno etc. 29.

*In initio epistolae in margine:* Ad Episcopum Cracoviensem, 27 Decembris.

a) *in ms.* Regium

## *N. 373.*

*s.l., s.d. [ante 1.I.1530]*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de filio sibi recens nato ob mortis periculum ante statutum tempus sine testibus baptizato significat eo, ne inutilis itineris sumptum facere debeat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 497-498.*

Litteris, quas proxime ad Illustrem Magnificentiam Vestram dedimus, conquesti sumus de adversa recens nati filioli nostri[1] valetudine, et quia tum parum vitae spei videbatur relictum, coacti fuimus statim, ne mors subita praeverteret, ipsum christiani nominis sacris initiari atque baptismatis lavacro renovari, idque sine testibus atque susceptoribus, quos ad hoc muneris Illustres Magnificosque invitavimus. Inter quos cum et Illustrem Magnificentiam Vestram cum praecipuis statuimus vocavimusque, nec dubitavimus, quin tam pio tamque christiano officio sese praestitisset, adesse voluisset seque huic ad nos itineri adcinxisset Illustris Magnificentia Vestra, quando necessitas atque fatum aliter tulerit, quibus quis resistat? ne quem ad nos itineris sumptum Illustris Magnificentia Vestra faciat, significatum volumus. Spes enim illa nostra, qua non minus Illustris Magnificentia Vestra[a], nimirum ut fratrem nostrum charissimum, atque nos ipsos laetatos delectatosque scimus, iacet cum morte iam secundo miserabiliter conflictans, iam iam lucem hanc relicturus. Deum immortalem, quam nihil sunt res humanae, quam falsa istorum, quae nos gaudia laetaque vocamus, appellatio, quibus ubi pulchre probeque perfusi ebriique [sumus], submussitat fortuna iniqua, iis aegritudinem aliquam minitans ac rotam volvens, subinde in tristitiae atque calamitatum pelagus ruit! Id nos re ipsa experti sumus. Donati eramus haeredi[z] filiolo, nostra magna voluptate[b] unicoque gaudio, quod vel omnium maxime a Deo expectavimus atque exoravimus tandem. Verum hunc inviderunt fatales vitae Parcae tantamque immature nobis e medio sustulerunt spem iniquae, simulque quicquid erat nati gaudii, extinxerunt. O inconstantem, variabilem atque miseram hominum conditionem, quam nihil in ea perpetuum atque durabile! O fata inexorabilia, o necessitatem vere trucem, quae summe desyderata partaque[c] violente destruis, rapis perdisque! Sed quid nos ultra haec conquerimur, quid accusamus, quod aliter natura fieri non voluit. Multa essent, quae in fratrem suum, Illustrem Vestram Magnificentiam, conquerebundi insereremus. Verum dolor plurium rerum et querelarum meminisse nunc vetat. Confidimus autem Deum, unicam spem afflictis, quicquid hoc est maeroris nostri, foelitiore ac uberiore olim gaudio commutaturum. Bene valeat Illustris Magnificentia Vestra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitzki.

a) *error pro*: Illustrem Magnificentiam Vestram?
b) *in margine.*
c) *correctum ex*: parataque
z) *sic in ms.*
1) *Fridericus Albertus.*

# 1530

N. 374.

E Regio Monte, 1.I.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de morbo gravissimo filii sibi recens nati et de eius ante statutum tempus confecto baptismate.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 505-506.*

Promptam voluntatem cum debito obsequio Regiae Vestrae Maiestati offero.

Quanta gaudia pariant parentibus concessi a Deo datore[a] liberi, nemo melius novit, quam quibus pignora illa largiuntur, per quos se vident vivere in aetatem posteram et[b] ex successione generis sui propaginem[c] quodammodo immortalem fieri. Ideo cum nuper auctus essem primogenito filiolo, qua laeticia recreatori et largitori Deo tacitus mecum gratias egerim, in piorum patrum aestimatione pono. Quod gaudium quo esset absolutius, ad regenerationem in sacro[d] fonte iuxta ritum sanctae matris Ecclesiae invitavi insignes susceptores atque catechistas, qui testes essent regenerationis et, si opus foret, magistri futuri puero sancta doctrina erudiendo. Inter quos ut primum locum suscipere dignaretur Regia Vestra Maiestas, plurimum rogavi.

Verum ut sunt res humanae inconstantes, et nemo scit, quid serus vesper vehat, adeo ut quam rectissime bullis comparemur, tulit subitus metus de periculo vitae necessitatem baptizandi puerulum in lavacro regenerationis ante tempus, ad quod sperabatur adventus susceptorum. Malui itaque infanti, dum infirmitas eius postularet, prospicere quam cum metu amittendae vitae aeternae sacrum lavacrum proferre. Quod hac de causa scribo Regiae Vestrae Maiestati, quo tedium longinquae peregrinationis et quicquid hac de causa suscipiendum erat, eidem Regiae Vestrae Maiestati adimam et cursum publicorum negociorum, quibus tenetur Regia Vestra Celsitudo, non impediam. Equidem nil ambigo, quin Regia Vestra Maiestas nunctio nati filii mecum gavisa sit et pium officium vel per se vel per suos subitura. Pro qua regia benevolentia gratias et ago et habeo quam plurimas. Plurima narrare prohibet maeror, luctu atque singultu commixtus. Nam iam iam vita excessit paucos dies vitam habens puer. Bene omnia vertat Deus,

qui eandem Regiam Vestram Maiestatem in multos annos nobis incolumem conservare dignetur. Datum e Regio Monte, die Circumcisionis Domini anno millesimo quingentesimo tricesimo.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, ut supra.

a) *in ms.* datori
b) *supra lineam.*
c) *verbum correctum.*
d) *sequitur expunctum:* sacro

*N. 375.*

*E Regio Monte, 1.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Hedvigi reginulae, filiae regis Poloniae,*
*de morte filii sibi recens nati et de eius ante statutum tempus confecto baptismate nuntiat, ne reginula tam longinquam peregrinationem frustra suscipiat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 503-504.*

Salutem et obsequendi studium paratum.

Cum nobis natus esset filius, pignus charissimum, magna expectatione, putabamus gaudium illud multis nobiscum esse commune, praesertim post Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, Serenitati Vestrae, tanta sanguinis propinquitate genti Marchionum Brandenburgensium coniunctae. Quae caussa extitit, ut ad fontem baptismatis inter susceptores de ritu Sanctae Ecclesiae eam Serenitatem Vestram inter praecipuos adfore sperabamus et ad tale officium christianae charitatis invitare nobis concedebamus. Nam in nullum dubium vertebatur, quin nobis et Ecclesiae Christi morem esset gestura: nobis ut consanguineo, quocum mutuum gaudium esset habitura; Ecclesiae ut matri sanctae, quae nos omnes sub suo gremio complectitur. Caeterum visum fuit aliter Deo, a quo disponuntur omnia sapienter. Corripuit infantem tristis morbus atque, proch dolor, abstulit, quemadmodum instabilis est vita mortalium. Incubuit igitur necessitas regenerandi puerum, antequam veniret tempus designatum susceptoribus ac catechistis. Ad rem ergo pertinere duximus, quatenus fieri potuit, sine mora illud Serenitati Vestrae significare, ne illa peregrinationem tam longinquam sumptusque minime necessarios faceret eo tempore, quando iter praecipue solet esse molestum, quoniam duplex reprehensio sequeretur, nisi, ut providentia postulat, indicaremus, tum quod actum illud esset, ad quod peragendum Serenitas Vestra adveniret, tum quod minime pepercissemus Serenitatis Vestrae labori, quem praescindi ratio postulasset. Gerimus itaque memorem beneficii animum erga Serenitatem Vestram, cuius scimus pium officium nobis non fuisse defuturum. Profecto versamur in luctu et moerore. Respiciat nos propitiis oculis Dominus. Sub cuius alis Serenitas Vestra protegatur, oramus. Datum in Regio Monte, anno millesimo quingentesimo tricesimo.

*In initio epistolae supra:* 1530. Anno millesimo quingentesimo tricesimo.

*In margine:* Ad Hedvigem, filiam Regis Poloniae, die Circumcisionis Domini.

*N. 376.*

*E Regio Monte, 1.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Annae duci Masoviae*
*de mortali morbo filii sibi recens nati et de eius ante statutum tempus confecto baptismate.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 505.*

*N. 377.*

*E Regio Monte, 1.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*duci Slucensi [Georgio Olelkowicz]*
*de filio sibi recens nato morbo gravissimo correpto et ex necessitate ante statutum tempus baptizato nuntiat, ut iter non necessarium et sumptus inutiles vitare possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 504-505.*

*N. 378.*

*E Regio Monte, 3.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario.*
*de limitum inspectione ad sequentis anni hiemem a rege dilata gaudet; de morte filii sibi recens nati magno cum moerore nuntiat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 507.*

Albertus, Dei gratia etc. Salutem et omnem benevolentiam.

Quod Magnificentia Vestra limitum inter Lithuaniam et Prussiam inspectionem atque visitationem per Serenissimam Maiestatem Regiam, clementissimum Dominum nostrum, in sequentis anni hyemem differri nobis significavit suis literis, pergratum fuit. Pro quo Magnificentiae Vestrae gratias et agimus et referemus, aliquando oportunitatem obsequendi nacti. Tempore autumni, cum propter caeteras viarum molestias ac difficultates, tum propter aquarum exuberantiam in vastis solitudinibus istis, in hoc inspiciendorum terminorum negocio versari molestum est. Quapropter in media hyeme cunctis frigore rigentibus, nimirum circa Epiphaniam Domini, sive Purificationis Mariae Virginis Beatissimae solemnia, ubi facilior profectio, tollerabilior viarum asperitas, hoc negocii suscipere, recurrente anni circulo, perquam placet.

Porro pro[a] gratulatione Magnificentiae Vestrae avitae domus ac familiae nostrae gratias agimus. Quae cum imprimis iucunda acceptaque fuit, quod Magnificentiae Vestrae animum nihil non bene vellentem[z] gaudentemque prosperis nostris successibus intelleximus, tum nonnihil maeroris nobis iniecit, ubi tot gratulationes frustra audivimus factas. Nam filiolus, qui datus erat nobis Dei benefitio, mense uno aetatem suam finiens, apud nos desiit vivere et ad eum, a quo datus erat, bap-

tismatis tamen lavacro prius renovatus, profectus est. Ita nostrum gaudium in moerorem versum, ita lugemus orbati unica spe nostra, quam Christus pro sua in nos beneficentia dignetur laetiori ac uberiori gratia resarcire. Bene valeat Magnificentiae Vestrae Amplitudo. Datum e Regio Monte, 3 Ianuarii anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Albertum Gastoldum, 3 Ianuarii.

a) *supra lineam.*
z) *sic in ms.*

*N. 379.*

*E Regio Monte, 8.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, rogat, ut in negotio fratris sui marchionis Georgii tales a rege impetret ad regem Ferdinandum litteras, quales negotium postulat.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 510-512.*

Officium omne ac pocius pietatem, quemadmodum fraterna necessitudo postulat, Illustri Magnificentiae Vestrae prompto animi obsequio impendere parati sumus. Retulit nobis in aurem iussu Illustris Magnificentiae Vestrae Nicolaus Nipsitius, legatus regius, cuius praesentia in recenti moerore et luctu tempestive recreamur, difficultatem obortam eidem Magnificentiae Vestrae in impetrandis a Regia Maiestate literis pro promovendo apud Serenissimum Regem Ferdinandum negocio Illustris ac charissimi fratris nostri Georgii ex eo, quod quidam praecipuae auctoritatis in aula ipsius Ferdinandi in odium rapiant Magnificentiam Vestram, perinde ac quicquid literarum a Regia Maiestate pro tuendo iure fratris nostri Georgii scribitur, illud totum ex consilio indutsriaque Illustris Magnificentiae Vestrae procuretur ac prodeat, perinde ac hoc modo Regia Maiestas, Dominus, noster clementissimus, acuetur contra inclitum Regem Ferdinandum, veluti magis violenter quam aequitate ius alterius appetentem. Quae difficultas promovendi eo maior etiam efficiatur, quod in frequentibus[a] Comiciis statuendum sit, consultum-ne an secus Regiae Maiestati munus promovendi.

Ex qua narratione regii legati animadvertimus Illustrem Magnificentiam Vestram aliquo modo terreri a proposito verentem, ne quid inde consurgat aliquando ex promotione, quod oportuerat resecari providentia. At macte esto Illustris Magnificentia Vestra in defensione iusti et aequi, cuius patrocinium semper honestissimum extitit viris magnis apud Reges praecipuo loco pollentibus, nec sinat se ullo metu a pulcherrimo studio depelli et fratri nostro, hoc est nobis ipsis, impendere suam operam, multis modis laudabilem. Saepe ponitur ibi timor, ubi nullus est timor. At quis timor potest ibi pulcherrimum studium retrahere, ubi iustitiae suum patrocinium tribuitur? Certe re bene perpensa, nemo nisi qui nocentes affectus ponere non vereatur ante probitatem rectorum conatuum, audebit reprehendere vel in odium rapere

studium Illustris Magnificentiae Vestrae, etiam si totum[b] se dedat in defensionem negocii fraterni. Quod iam evicit iusticia, modo victoria tribuatur recte iudici ac indignetur aliquis, quid tum? Gravis patrocinatrix est recti conscientia. Dicatur formidolosa alicuius potentia, plus valebit ergo vim pacientis excussans suffragium. Addimus, quod in fine nigrescit plerumque vis cum potentia, quando in suo statu magna cum gloria perstat rectorum conatus.

Nihil hic ambigimus de praestantissimo animo Illustris Magnificentiae Vestrae, nec eam studemus verbis nostris ad recti defensionem animare. Sed ut pro re nata, quid in animo geramus, exponamus, illud sciat Illustris Magnificentia Vestra: neminem unquam vel re vel verbis aliquid tentaturum contra eandem Illustrem Magnificentiam Vestram, qui non simul in nos quoque sit peccaturus, sic semper defensuros religionem fraterni[c] amoris, ut pocius vitam vel quicquid praeterea gratum habemus, velimus amittere quam non una quoque in periculo stare, quod intellexerimus in Illustrem Magnificentiam Vestram strui. Tantum abest, ut velimus nos in periculis, si quae in negocio fratris nostri incubuerint Illustri Magnificentiae Vestrae, subtrahere. Igitur, quando nullum videtur periculum ibi aut, si videtur, contemnendum est, unice oratam habemus ipsam Illustrem Magnificentiam Vestram, uti a Regia Maiestate nobis impetret tales literas, quales[d] negocium postulat, iusticia monet, nos desyderamus. Earum literarum formam et tenorem, ut explicant exemplaria proxime per nostros nunctios ad Regiam Maiestatem transmissa, iuxta illorum normam commendationem rerum fratris nostri apud divum Ferdinandum commendari expetimus, et ut compotes voti futuri simus, certam fiduciam iam concepimus de Illustri Magnificentia Vestra. Sic etenim difficultatem proponit Illustris Magnificentia Vestra, quod si in petitione perstiterimus, sic rem velle tractare una cum suis amicis, ut studio et industria, quaequae repugnantia intelligerentur, carere, ne qua in parte videamur deserti ab eadem Illustri Magnificentia Vestra, quam rectissime valere exoptamus. Datum VIII die Ianuarii anno 30.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitz, 8 Ianuarii.

a) *sequitur expunctum:* negociis
b) *correctum ex:* tutum
c) *sequitur expunctum:* nominis
d) *sequitur expunctum:* quales

*N. 380.*

*E Regio Monte, 9.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Barbarae Kościelecka, palatinae Posnaniensi,*
*capitaneo Riesenburgensi se iussisse nuntiat, ut equum subdito palatinae in ditione regis ablatum ei restitueret.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 53.*

## N. 381.

*E Regio Monte, 11.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*a regis Ferdinandi nuntio Stephano Klinčić Croato, ad magnum ducem Moscoviae misso, rogatus ut sibi et legatis eiusdem magni ducis Moscoviae liberum per ditiones suas transitum concederet, scire cupit, quid sibi hac in re faciendum sit, annuendum-ne eiusmodi petitioni an renuendum.*

*(Cum 2 schedulis)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 512-514.*

Post debitum obsequium a me Regiae Vestrae Maiestati impendendum etc.

Serenissime Clementissimeque Rex, quod Regiae Vestrae Maiestati palam fieri volo, illud est. Venit ad me hac ipsa hora nunctius expeditus, missus huc a Reverendo Magistro Livoniae[1], apportans illius epistolam una cum literis Stephani Klyntzitz Cronati[a], a Serenissimo Hungariae Bohemiaeque Rege Ferdinando etc. nunctii, missi ad Magnum Ducem Russiae[2] etc. Qui nunctius, dum esset in sua profectione, salutavit Regiam Vestram Maiestatem Wilne, quemadmodum mihi exposuit Nicolaus Nipsitius, Regiae Vestrae Maiestatis legatus. Petit autem is, domum iam rediens, salvum conductum cum suis per ditionem meam, asserens se etiam literas ad me habere datas a Serenissimo Rege Ferdinando. Iam quando haud ignoro, quae necessitudo amicitiaque inter divum Caesarem[3] Regiamque Vestram Maiestatem et inclytum Regem Ferdinandum intercedat, nulla cum difficultate aut magna deliberatione salvum transitum concessurus eram, quod nihil ibi putarem latere periculi. Verum quando non tantum pro se suisque comitibus liberum transitum expetit, sed insuper connectit socios suae profectionis et concedendi salvi conductus legatos Illustrissimi Principis Basilii, Magni Ducis Russiae etc., una secum recta petentes ad Serenissimum Regem Ferdinandum, fit, ut ibi mihi ambiguitas obiiciatur capiundi consilii, provida-ne an secus habeatur permissio tuto transeundi per meum Ducatum.

Itaque ea re in deliberationem posita, visum mihi fuit, antequam petitori annuerim vel renuerim, negocium transferre ad Regiam Vestram Maiestatem, cui quicquid placuerit et factu necessarium ducitur, idem mihi capessendum putabo. Ex quo hac in re multa providere suadet perfidia horum temporum. Et ambiguitas mea talis est, quae a leva et a dextra consilium sagax requirit. Quam ob rem superest, ut Regia Vestra Maiestas animum suum mihi aperiat, quod non erit difficile factu, quando legatis illis simul transeundum sit haud parvo spatio terrarum, Regiae Vestrae Maiestati subiectarum. Si patefacienda fuerit tuta via, paratus sum; sin secus providentia suaserit, iterum pro fide subditi Principis praestabo obsequium Regiae Vestrae Maiestati. Tantum est, ne res in multas procrastinationes prorogetur, quemadmodum Regia Vestra Maiestas ex circumstantiis negotii et literis Magistri Livoniae, simulque ex petitione ipsius Stephani Klyntzitz, ora-

toris regii, abunde potest perpendere. Cuius rei gratia literas ipsorum, nempe Magistri Livoniae e germanico in latinum transversas, simul exemplaria Stephani Klyntzitz etc. et literas Magni Ducis Russiae etc. russice scriptas, illegibiles mihi, tanto minus sententiarum tenore intellectas, nisi quatenus iuxta posita est latina interpretatio, una mittere decrevi, quominus perperam[b] plane scriberem et Regiae Vestrae Maiestati inter consultandum aliquid ambiguitatis in medio relinquerem. Quam Regiam Vestram Maiestatem Dominus Deus quam diutissime sospitem nobis conservet. Datum e Regio Monte XI Ianuarii anno etc. 30.

Schedula

Oratam autem habeo, Regia Vestra Maiestas velit mihi remittere literas Ruthenicas, ubi eas perlegerit, quatenus suffecerit.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, XI Ianuarii.

a) *Error pro*: Crovati *vel potius* Chorvati (*vel* Croati).
b) *in ms.* perparum.

1) *Valterus a Plettenberg.*
2) *Basilius III Ioannides.*
3) *Carolus V.*

*Schedula litteris regiis adiuncta de die 11.I.1530 (ff. 518-519):*

Quamquam sciam, Rex clementissime, pro regia ac singulari industria Maiestatem Vestram Regiam, quid in quaque caussa agendum sit, per se satis perpendere posse, verum quia sum semper hoc animo, ut nunquam non fidelis et subditus Princeps Maiestatis Vestrae inveniri possem, non possum non vel meas naenias Regiae Vestrae Maiestati aperire, et forte nullae sunt nihilique habeantur, quod non sum inscius inter Regiam Vestram Maiestatem et Invictissimum Caesarem[1] Regiamque Serenitatem Hungariae et Bohemiae[2], quam fraternitatem et amicitiam penitus esse nihil[a]. Deinde et contractus inter Regiam Vestram Maiestatem et Magnum Ducem Muscoviae[3] legationes Maiestatis Vestrae Regiae Regna provintiasque impedite iter facturos semper postulare[a]. Non igitur mihi videtur consultum, ut Regia Vestra Maiestas aliquid Caesareae Maiestati Serenitatique Regiae Hungariae ac Bohemiae et initis contractibus diversum statuat. Consultum autem duco, Regia Vestra Maiestas horum temporum celeres variosque cursus perpendat; deinde et articulum simul in Knietzitzky[z] exarata chartula Magistri Livoniae[4], quod haberet secreta quedam Magistro Livoniae denuncianda simulatque praecursori suo secretiora negotia in mandatis dedisse perferenda, iisque non minorem fidem adhibendam ac si ipse praesens adesset. Sed quia Regiae Maiestatis Hungariae nunctius praedictus per Regna Maiestatis Vestrae prius iter capessebat, nunc vero alias vias querit, merito Maiestas Vestra in his variantibus vicibus temporibusque infidis aliquid suspicetur. Etenim non improbe consultum mihi videretur, si Maiestas Vestra Regia rationem ac viam meditari posset, ne Muscovitici Principis legatis omnibus semper per Maiestatis Vestrae Regna ire concederetur. Verum quid in ea re optimum atque consultum videri potest, id Regiae Vestrae Maiestati eiusque optima industria praeditis consiliariis relinquimus metiendum. Et Re-

giae Vestrae Maiestati me commendatum unice volo. 11 Ianuarii anno 1530.

*In initio epistolae in margine:* Schedula inclusa regiis literis, XI Ianuarii.

a) *syntaxis satis confusa, probabiliter ob omissiones ab amanuensi factas.*
z) *sic in ms.*
1) *Carolus V.*
2) *Ferdinandus.*
3) *Basilius III Ioannides.*
4) *Valterus a Plettenberg.*

## *N. 382.*

*E Regio Monte, 11.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, negotium fratris sui Georgii marchionis Brandenburgensis apud regem promovendum commendat.*
*(Annexum: Epistola Valteri a Plettenberg de die 1.I.1530)*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 514-515.*

Salutem et quicquid grati officii praestare fraternus amor possit, Illustris ac Magnifice Frater nobis charissime.

Quid causae sit, cur hunc nunctium expedivimus, proximum repente sequendum, ex Regiae Maiestatis, quas Illustrem Magnificentiam Vestram non dubitamus visuram[a], literis, intelligat eadem Illustris Magnificentia Vestra[b]. Cuius consilio arbitrioque Regiam Maiestatem unice perpensis volutisque caussis usuram scimus, simulatque quid factu in ea re consultum, non gravetur Illustris Magnificentia Vestra, collectis rerum circumstantiis, in medium adducere. Porro tametsi fratris nostri Georgii, simulatque Nicolai Nypsitii negocium, Illustri Magnificentiae Vestrae in memoriam hic revocare expediendum supervacaneum videri queat, quod proximae literae, id dudum agentes, absolvisse videlicet possent, neque dubium est, quin proferatur in amore, quod in horum utilitatem commodumque sit, vel non toties auribus vellicata Illustris Magnificentia Vestra sedulo conetur, tamen non potuimus praetermittere, nimirum ut quibus fraternum negocium aeque ac nostrum curae est, vel currentem ac laborantem Illustrem Magnificentiam Vestram in fratris iusta caussa submonere. Cui si non defuerit Illustris Magnificentia Vestra, quod non speramus, omni officio omnique studio erga Illustrem Magnificentiam Vestram studebimus promereri. Salutat Magnificentiam Vestram Illustris coniux nostra charissima[1] et unice illi se commendat, precans omnia fortunata salvaque eidem Illustri Magnificentiae Vestrae, quam nos quoque Dei benignitati cum omnibus suis commendatam volumus sanam ac foelicem. Datum e Regio Monte 11 Ianuraii 30.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christophorum Schidlowitzky, ut supra.

a) *in ms.* visuras
b) *supra lineam.*
1) *Dorothea.*

*Annexum: Epistola Valteri a Plettenberg ad ducem Albertum de die 1.I.1530*).*

Ex germanica epistola translatum.

Amicum nostrum servitium et quicquid grati bonique possumus, praemissum.

Princeps Illustrissime.

Noluimus Illustritatem Vestram lateat, Magnum Principem et Gubernatorem totius Russiae[1], simulatque missum Serenissimi atque Potentissimi Principis Domini Domini Ferdinandi Regis Hungariae et Bohemiae, Infantis Hispaniae etc., clementissimi nostri Domini, orathorem[z] Stephanum Klyntzitz, Cronatum[a], cursorem suum, et litteras ad nos misisse. Quibus praedictus Magnus Princeps Russiae et regius orator amice ac enixe cupiunt petuntque, ut dicto regio orathori una cum Muscovitico legato, per nostram regionem ad Caesaream Maiestatem[2] et Regiam Serenitatem Hungariae Bohemiaeque, clementissimorum nostrorum Dominorum[z] tendentibus, libere proficisci atque iter facere dignemur permittere, et iisdem salvo conductu tuto firmoque eisque litteris (quas cum praefato cursore sibi legati huiusmodi remittere cupiunt) prospicere, vehementer quoque precantes, ut quas in praesentia mittimus, tum Moscoviae Magni Ducis, tum Regiae Maiestatis legati litteras, nostro certo tabellario ad Illustritatem Vestram, cui dicatae scriptaeque sunt, perferri curemus. Quo in eadem re praedicti legati eiusdem sententiae salvi conductus litteris, per Illustritatis Vestrae Ducatus provintiam impedito itinere ducentibus, provideantur donenturque ab Illustritate Vestra, ut liquet ex inclusa his litteris nostris exarata cartula.

Haec non potuimus pro subdito, officioso atque amico obsequio Caesareae Maiestati Regiaeque Serenitati Hungariae et Bohemiae, atque saepius dicto Muscoviae Magno Principi, nostris clementissimis Dominis atque amico vicino,denegare. Atque procul dubio Illustritas Vestra huiusmodi efflagitationibus precibusque obnixis Magni Principis Muscoviae et regiis legatis in gratiam obsequiosam et amicam Caesareae Maiestatis Serenitatisque Regiae Hungariae et Bohemiae non defutura est. Porro, quia supradictus cursor, hic Vestrae Illustritatis responsum expectans, cessat, amice igitur rogamus Illustritatem Vestram, ut eadem servitorem nostrum Georgium Buthcamerum, una cum salvi conductus litteris, quam ocissime remittere non dedignetur Illustritas Vestra. Quam his paucis Omnipotenti in seram usque gubernationem et sanitatem amico atque obsequio nostro ubique prompto commendamus. Datum ex arce nostra Wenden, pro festo Circumcisionis anno etc. XXX.

Waltherus de Plattenbergk Magister
Teutonici Ordinis in Livonia.

a) *sic in ms., recte:* Corvatum *vel* Croatum
z) *sic in ms.*
1) *Basilius Ioannides.*
2) *Carolus V.*
*) *sic in Archivo posita, sed re vera annexa erat litteris ad regem (v. N. 381).*

## *N. 383.*

*E Regio Monte, 11.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de misso sibi nuntio proximae futurae coronationis Sigismundi Augusti regis Poloniae iunioris gaudet; pro xeniolis et muneribus gratias agit; coronationi regis iunioris se libentissime interfuturum esse significat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 517-518.*

Quantum foelicitatis, tum animi tum corporis, prosperos successus benignamque fortunam germanus germano charissimo votis suis imprecari solet ex animo, haec omnia nos cum prompto servitii fraterni studio Illustri Magnificentiae Vestrae, longe[a] charissimo fratri, a superis optamus sedulo.

Illustris et Magnifice Frater, nobis syncere dilecte.

Ex hesterni Nicolao Nipsitio, regio legato apud nos agenti, missi nunctii, servitoris Illustris Magnificentiae Vestrae, adportatis literis et nunctiatione, ita nos Christus amet, longe omnium vel iucundissima gratissimaque, sceptrum Regni regale electo nuper omnium suffragiis Iuniori Regi Sigismundo Augusto tradi, vigesimoque Februarii die coronam sacratissimo illius capiti imponendam, cum honorificentissima nostri invitatione, intelleximus. Laudamus fraternum affectum erga nos, quos nihil latere istorum voluit, quibus non ignorabat fratrem unice gaudio perfusum iri. Probamus nunctii festinationem, quae plurimum sibi vendicat in rebus praecipue laetis iucundisque in tempore advolata. Deinde quod eadem legato suo baptisma[b] sacrum filioli nostri fatis concessi decorare, ni Deo aliter visum fuisset, non sit dedignata, quod missis xeniolis muneribusque magnificis ac praeclaris nos et charissimam coniugem[1] filiolamque[2] nostram donarat, gratias agimus simul immortales, etsi nil minus ac istis sollicitam fuisse Illustrem Magnificentiam Vestram oportuerat, nimirum cuius fraterni animi affectus alioqui erga nos satis perspectus longaque necessitudine testatissimus. Tamen haec fraterni amoris chara mnymosina[c] testesque fraterne accipimus reponimusque. Pro quibus, longe gratissimis, immorituras charissima coniux gratias et agit et habituram se sedulo contendit, omne officium omnemque animi promptitudinem Illustri Magnificentiae Vestrae vicissim offerens.

Porro, quod Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, ad coronationis electi Regis filii celebritatem nos invitari fecit, quod ut gratum iucundumque nobis esse debet, ita libentissime morem gerere, cum in hoc, tum caeteris rebus omnibus, Regiae Maiestati quam maxime parati sumus. Accingemus nos itineri, quod Christus fortunet, nostra praesentia sanctam coronationis[d] celebritatem, si non honoratiorem, cui adnitemur, certe auctiorem tamen reddemus ac in eo negocio, quod vel omnium maxime dudum expectavimus, ut decet subditum Principem, sedulos nos exhibemus. Quod autem Illustris Magni-

ficentia Vestra pro Cancellaria vidua[3] pie sollicitat, agnoscimus Illustris Magnificentiae Vestrae christianam mentem, quamquam alias praeter pietatis et clementiae beneficentiam, qua erga eam semper inclinati fuimus, ipsi nihil debemus. Faciemus tamen eam auctiorem posthac ob Illustris Magnificentiae Vestrae sollicitationem precesque, ut semper apud nos in priori loco habitam sentiat. Bene valeat Illustris Magnificentia Vestra. Datum e Regio Monte, 13[z] Ianuarii 1530.

*In initio epistolae in margine:* Ad Schidlovitzky etc., XI Ianuarii.

a) *in ms.* longo
b) *correctum ex:* baptismi
c) *in ms.* mymosyna
d) *sequitur expunctum:* contulit
z) *sic in ms.*
1) *Dorothea.*
2) *Anna Sophia.*
3) *uxor Friderici Fischer.*

## *N. 384.*

*E Regio Monte, 11.I.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*pro indefessis officiis semper erga se paratis gratias agit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 514.*

Salutem et benevolentiam nostram praemittimus Reverentiae Vestrae.

Vir reverentia dignissime, predicat nobis sedulo legatus regius, Nicolaus Nypstius[1], cuius nunc praesentia recenti moerore luctuque plangentes unice recreamur, studium obsequiumque Reverentiae Vestrae eiusque officia indefessa nobis semper parata erga nos, pro quibus, ut merito gratias[a] Reverentiae Vestrae debemus, ita iisdem unice laetati sumus, non quod ignoraremus Reverentiam Vestram nunquam non, ut veterem amicum, antehac nobis obsequia prompta sua praestitisse, quae siquidem saepius sensimus, gratum tamen est velut renatam necessitudinem, suos fructus offerentem, ab integro percipere.

Nobis vero vicissim si bene faciendi Reverentiae Vestrae occasio oblata fuerit, nunquam sentiet eadem propensam nostram operam sibi intercludi. Porro regius legatus ac nos simul Cunctipotentis beneficio satis bene habemus, saepiusque gratiam Regiae Maiestatis Reverentiaeque Vestrae precantes. Interim omnia salva. Amoris poculum laeti libamus haurimusque, longe laetiora hausuri, si praesentia daretur, quorum absentiam sancte colimus, frui[b]. Bene valeat Reverentia Vestra. Ex arce Regii Montis, 11 Ianuarii 30.

*In initio epistolae in margine:* Ioanni Chointzky, 11 Ianuarii.

a) *sequitur* agimus *expunctum.*
b) *in ms.* fui
1) *Nibschitz.*

N. 385.

E Regio Monte, 13.I.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Ciechanoviensi [Adriano Gołyński]*
*pro colono quodam a capitaneo Ortelsburgensi detento, qui non solutis debitis e domo sua aufugit, rogat, ut, cum redierit et debita solverit, in possessionem bonorum suorum redire possit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 53v.*

An heuptmann zu Zeechnaw den 13 Januarii.

Es hat uns unser heuptmann zu Ortelspurgk durch sein schreiben vormeldt, das der paur, den ehr aufgehalten, in das ortlsburgisch gebieth gehorigk und nach haus und hof auch alle seine freunde, doselbst habe sich auch viel vorretherey unterstanden und alsso weggelaufen; auch den flachs im ortelspurgischen aufgeborget und noch schuldig. So sollen in nhun seine freunde daselbst ausgeporgt haben, dergestalt, das er sich widerumb in das ortelspursch gepieth auf sein gutter begebe etc. Dweil dann derselbig baur, wie sein freunde anzeigen, in das ortelspurgsch gehorigk, so sein wir erputtig, wo sich derselbig auf angezeigt sein gut begeben wurdt, domit die armen leuthte ire schult an im zu erholen wissen, soll im sein guth alssdann von obgedachtem auch unserm heuptmann auch gevolget werden. Solchs haben wir euch gnediger meynung nit vorhalten wollen. Datum Konigspergk den ut supra.

N. 386.

E Regio Monte, 19.I.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Gregorio Meck, civi Vilnensi,*
*duodecim structores et totidem fabros tignarios Vilnae sibi procurari petit, qui proxime futuro vere quosdam labores in arce Cleipodiensi effecturi sint.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 43, f. 41.*

N. 387.

E Regio Monte, 24.I.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Baliński, castellano Gedanensi,*
*pro magistro Iacobo Steintischer, cive Regiomontano, cuius uxor a sacerdote Ambrosio Czscherin (sic in ms.) Marienburgi demortuo quaedam bona hereditavit, ut eadem bona sine impedimento nancisci possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 519-520.*

N. 388.

E Regio Monte, 27.I.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Simoni Mitkiewicz (vel Mytkowicz), praefecto Ejragolensi,*
*pro Ioanne Feyerabent, cui quaedam bona in Ejragoła (in ms.* Heragelenae) *iniuste arrestata sunt, interpellat, ut eadem bona liberentur eique restituantur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 520-521.*

N. 389.

Toruniae, 5.II.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Iacobo Krapp* (Cropen), *civi Posnaniensi,*
*de infula et pretiosis a demortuo Erhardo Queis, episcopo Pomesaniensi, relictis restituendis.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 54.*

Ann Jacob Cropen, burger zu Posen, denn 5 Februarii.

Nachdem der vorig bischof Erhart zu Pometzan, in Got vorstorben, dir ein inful zu verkaufen ubergeben, welche bey dir noch unvorkauft, so wir dann nit wissen, warumb dir solche zu verkaufen gethan, und wir auch bericht, das du dem bischof etliche cleinotter und ander ding daussen landes hast sollen machen lassen, ist an dich unser gnedigs begern, du wollest uns dasselbig sampt der inful, auch wes dir obgenant bischof hinderstellig schuldig, clare vorzeichnus, daneben desgleichen wes du allenthalben von ime, dem bischof, empfangen, in erst zufertigen. Am allen thustu uns zu gefallen etc. Datum Thorn den etc. ut supra

N. 390.

s.l., 17.II.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de non nisi una epistola ei (Nicolao Nibschitz) inscripta a se accepta et Petricoviam transmissa.*

*(Schedula: scire cupit, quinam proceres ei obviam venturi sint).*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 54-54v.*

N. 391.

s.l., 1.III.1530

*Albertus dux in Prussia*
*Thomae Lapi (Lapy)*
*de summa 1000 aureorum ei a duce debita per Nicolaum Haberlandt Posnaniae ei nomine ducis persolvenda.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 54v-55.*

N. 392.

*E Regio Monte, 6.III.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iacobo Krapp* (Krapen), *civi Posnaniensi,*
*pileum defuncti episcopi Pomesaniensis, Erhardi Queis, sibi remitti petit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 55-55v.*

N. 393.

*E Regio Monte, 9.IV.1530.*

*Alberti in Prussia ducis vicesgerentes et consiliarii*
*capitaneo Samogitiae [Stanislao Kieżgajło]*
*absente duce Alberto intercedunt pro Ioanne Buchner, praefecturae Ragnetensis scriba, cui Manicus Rasius, Samogita, viginti quattuor boves pro lasta salis ei vendita debet eosque dare non vult.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 521-522.*

N. 394.

*E Regio Monte, 1.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Baliński, castellano Gedanensi,*
*de bonis ecclesiasticis ex dioecesi Pomesaniensi in arcem Marienburgensem delatis, impetratis ad hoc iam litteris regiis, restituendis eum admonet.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 522-523.*

De bonis ecclesiasticis Pomezaniensibus in arcem Marianam delatis.

Salutem ac benevolentiam nostram peroptamus ubique Magnificentiae Vestrae praemissam.

Magnifice ac Generose fautor singulariter nobis dilecte.

Agebamus olim apud Magnificentiam Vestram (quod eidem credi-

mus nondum excidisse) de argento simulatque quibusdam bonis ecclesiasticis, e Pomezaniensi episcopatu in arcem Marienburgensem delatis, restituendis nobis. Quibus tum a Magnificentia Vestra hoc responsi dabatur: nullo id pacto eidem in restituendo integrum esse, ni prius a Regia Maiestate nactis super iisdem bonis restituendis litteris, certiorem de redditione Magnificentiam Vestram facientibus, neque tum demum in reddendo se velle difficilem praebere. Impetravimus ergo Regiae Maiestatis benignam voluntatem eamque litteris regiis testatam super huiusmodi reddendis bonis ecclesiasticis. Quas litteras in praesentiarum mittimus Magnificentiae Vestrae. Quam iccirco benigne precatum volumus, ut praedictum argentum caeteraque bona ecclesiastica, ex episcopatu Pomezaniensi in arcem Marianam evecta, harum literarum exhibitori, nobis, ut porro in mandatis laturo, iuxta regium decretum reddere ne gravetur Magnificentia Vestra. Quam ob hoc maiore benevolentia deinceps prosequemur atque benevola animi nostri voluntate erga eandem inclinatiores erimus. Cupimus Magnificentiam Vestram quam foelicissime atque diutissime valere. Datum Konigspergk primo Maii anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Balintzky, prima Maii.

*N. 395.*

*E Regio Monte, 4.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*mortuo episcopo Culmensi [Ioanne Konopacki], Paulum Płotowski, praepositum Varmiensem et secretarium Christophori Szydłowiecki, ad vacantem episcopatum proponit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 523-524.*

Quaecumque obsequia benevolaeque voluntates a Principe subdito divo Regi Dominoque suo sedulo requiri atque exhiberi solent, ea omnia et offero et dedico Regiae Vestrae Maiestati, quam multis nominibus precor atque exopto sanam atque salvam esse.

Serenissime atque clementissime Rex.

Relatum est mihi non ita pridem, Reverendum in Christo Patrem Ioannem[1], Episcopum Lobensem[2], hominem exivisse atque ex hac mortalium calamitosa, peregrina atque inopi vita ad foeliciorem veramque patriam commigrasse, atque hoc pii viri fato episcopalem administrationem officiique tam sancti dignitatem ibidem vacare. Ad quam alium evehere Vestrae Regiae Maiestatis esse in confesso est. Ob id si precibus atque commendationibus locus esset, ut spero, praeponerem Regiae Vestrae Maiestati huic officio non inidoneum neque immerentem Paulum Pludofsky[3], Praepositum Warmensem, Domini Christoffori a Schidlovitz, Cancellarii[a] Maiestatis Vestrae Regiae, a ministeriis, cui prae caeteris quam optime volo. Quam ob rem oro atque praecor Regiam Vestram Maiestatem, ut clementissimum meum Dominum, quo hic praedictus Paulus ad hoc dignitatis fastigium episcopaleque munus, Antistite carens, proximo esse queat, ac pro innata regia clementia hominem obiecta iam fortuna benigne donare meamque hanc precationem atque commendationem illi auxilio usuique esse, dignetur Regia

Vestra Sublimitas. Hoc ego subdita mea opera omnique diligentiae studio erga Regiam Vestram Maiestatem promerear. Quam ad longaevam imperii gubernationem Christo Domino commendo atque quam foelicissime beneque valere semper exopto. Datum 4 Maii etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 4 Maii.

a) *correctum ex:* Cancellariae
1) *Ioannes Konopacki, ep. Culmensis.*
2) *recte* Lubaviensis.
3) *Płotowski.*

*N. 396.*

*E Regio Monte, 4.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, negotium sororis suae Annae ducis Thessinensis commendat; rogat, ut apud regem studeat, quo nuntius in Livoniam destinatus quam citissime illuc mittatur, et ut navis oneraria sibi a Gedanensibus vendi possit; herbas medicas aegrotanti filio eius mittit.*

*(Schedula: ad vacantem episcopatum Culmensem Paulum Płotowski proponit).*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 524-527.*

Si quid officiorum obsequiorumque fraterna sedulitate charus charo, frater fratri exhiberi possit, id omni exequendi promptitudine Illustri Magnificentiae Vestrae, ut fratri charissimo, expositum atque obvium esse volumus. Quam ex intimo cordis affectu salvam cupimus.

Illustris et Magnifice Frater, nobis charissime.

Iter ab Illustri Magnificentia Vestra digredientibus superna benignitate, cui gratias agimus, faustum foelixque nobis penates usque nostros, ubi salva omnia comperimus, contigit. Haec ut Illustri Magnificentiae Vestrae gaudio esse scimus, ita, quod subiecturi sumus, eamdem minime, cuius opera tocies usi sumus atque utimur, reiecturam speramus.

Illustrissimae ac charissimae sororis nostrae Annae, de Thoschina Ducis[1], de qua praesentes egimus cum Illustri Magnificentia Vestra, unice eidem, ut rerum nostrarum[a] negociorumque omnium exequutori sedulo ac charissimo fratri, promovendam relinquimus atque commendamus, quo scilicet a regia benignitate, clementissimo nostro Domino, super istis centum bobus atque sale regias litteras nancisci posset. Cui rei speramus Illustrem Magnificentiam Vestram pro fraterna necessitudine apud Regiam Maiestatem non defuturam, quo huiusmodi litterae quam primum conficiantur. Quae[b] etiam Magnificentiam Vestram Illustrem Nicolaus Nipsitius copiosius edoceat exponatque.

Nunctium vero, quem in Livoniam destinavit ablegandum Regia Maiestas, quam mature atque ocissime mittendum cuperemus. Quam ob rem ne quid in hac re quoque morae fiat, quam primum ut ablegetur[c], ne desistat Regiae Maiestatis aurem vellicare Illustris Magnificentia Vestra. Nec minus eandem Illustris fratris nostri Guilhelmi Marchionis etc. negotium, de quo coram cum Illustri Magnificentia Vestra mentionem fecimus, apud Sacram Maiestatem Regiam fideli cura effecturam nobisque quam primum significari speramus.

Et quia cum praeter onera ac preces Illustri Magnificentiae Ves-

trae nihil adferimus, hoc caeteris velut socium adnectere visum est, quo navis illa oneraria, apud Gedanos iam pridem fabricata atque absoluta, nobis vendi possit, qua fieri potest diligenti perscrutatione atque opera efficiatur per Magnificentiam Vestram Illustrem. Quam, ut in caeteris omnibus, ita in hac etiam re confidimus fraternum studium non intermissuram. Quod nos vicissim ea[d] studiorum officiorumque indagine erga Illustrem Magnificentiam Vestram, quam frater fratri sedulo exhibere solet, promerebimus.

Porro curavimus in praesentia herbas aliquas medicas una cum praescriptionibus atque informationibus nostri physici, ut speramus, non insalubres futuras, Illustris Magnificentiae Vestrae aegrotanti filio mitti. Cui utinam Christus, qui solus et animo et corpori mederi potest, tam sit propicius pristinaeque ipsum sanitati restituat, quam nos hoc et animo et corde cupimus indiesque precamur.

Novarum rerum penes nos nil est. Verum si[e] Magnificentiae Vestrae Illustri compertiora quaedam, quam nobis sunt, essent, fraterne precamur, quatenus scribi ac communicare liceat, ne nos celet[f] Magnificentia Vestra Illustris.

Salutat Illustrem Magnificentiam Vestram Illustrissima atque charissima nostra coniux[2] ac subinde obnixe precatur, ne gravetur eadem Magnificentia Vestra suavissimae atque Illustri consorti suae[3] ipsius nomine huiusmodi salutem eaque obsequendi studia, quam soror charissimae sorori imprecarique[z] solet offertque, dicere. Deinde et nos et dulcissima nostra consors Magnificentiam Vestram cum Illustri et charissima coniuge sua simul exoratam volumus, ut si iter aliquando Thoronium utrisque contigerit, quicquid demum super est itineris, ad arcem nostram Regiomontanam[g] ne gravatim Magnificentia Vestra Illustris cum charissima coniuge sumere velit atque frater fratrem, soror sororem invisat. Qua in re utrisque ut gratum, ita et gratissimum, uterque fecerit. Bene valeat Illustris Magnificentia Vestra cum dulcissima atque Illustri coniuge suavissimisque liberis. Datum e Regio Monte 4 Maii.

Schedula.

Cum amanuensis hiis finem atque supremam manum imposuisset, nunctiatum est nobis Episcopum Lobnicensem[4] e vivis concessisse. Quoniam porro antea pro Illustris Magnificentiae Vestrae fideli ac e ministeriis, Domino Praeposito de Frawenburgk[5], intercessimus et quum casus atque occasio nunc ita tulere, rogamus Magnificentiam Vestram Illustrem offerente se fortuna, ut donari possit dictus Illustris Magnificentiae Vestrae servitor, et ut nunc denique intelligat atque re ipsa experiatur nostram intercessionem non friguisse neque frustra insumptam esse. Hoc nos pari officio studioque erga Illustrem Magnificentiam Vestram pensabimus. Quam iterum atque iterum bene valere exoptamus. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Schidlovitzky, ut supra.

a) *in ms.* nostrorum
b) *sequitur expunctum:* omnia
c) *in ms.* ablegatur
d) *sequitur expunctum:* studiorum offitiorum
e) *sequitur expunctum:* quando
f) *correctum* ex: celeat
g) *verbum contractum et correctum.*
z) *sic in ms.*
1) *uxor Venceslai II ducis Thessinensis.*
2) *Dorothea.*
3) *Sophia de Targowisko.*
4) *Ioannes Konopacki, ep. Culmensis.*
5) *Paulus Plotowski.*

N. 397.

E Regio Monte, 4.V.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*negotia sua in aula regia expedienda commendat; causam marchionis Georgii promoveri petit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 55v-56.*

N. 398.

E Regio Monte, 13.V.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Kościelecki (in ms.* Kotzilietzky), *palatino Posnaniensi, capitaneo Marienburgensi,*
*pro componendis controversiis inter Martinum Chociszewski, famulum Stanislai Kościelecki, et praefectum Prabutensem Wolffium Queis (in ms.* Qweis) *arbitros se instituisse nuntiat ipsum Queis et Eckium a Reppichau, capitaneum suum Hollandiensem.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 527-528.*

N. 399.

E Regio Monte, 16.V.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*doctorem Franciscum Skoryna, virum doctum et medicum de Połocko, Vilnam se conferre debentem, commendat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 528-529.*

Pro Domino Francisco Scorina de Polotzko, medicinae doctori[z)].

Salutem et omnem benevolentiam, cum animi nostri quaeque gratissima praestandi obvia promptitudine.

Magnifice ac Generose, singularium amicorum longe nobis gratissimus[z)].

Commigravit nostrae dicioni non ita pridem egregius ac multifariae experientiae vir, Franciscus Scorina de Polotzko, arcium[z)] bonarum atque medicinae doctor foelixque professor, Amplissimae Magnificentiae Vestrae subditus atque ex laudatissimae civitatis Vuilnae[z)] municipibus. Cuius animadverso cum ingenio prompto mirabilique, tum artis praeclarissimae, quam profitetur, mira foelicitate atque experientia, quam annis demum ac vigiliis suis multarumque rerum cognoscendarum peregrinationibus collegisse videtur, subditorum ac aulicorum nostrorum fidelium albo numeroque benigne scripsimus atque in eorum locum, quibus ubique bene volumus, ipsum reposuimus. Et quia urgentia viri negotia, quantum intelleximus, privataeque suae res ac bona, quae in civitate Vuilnensi cum uxore ac liberis reliquerat, ipsum hinc isthuc adigebant, exorabat facile nostras ad Magnificentiam

Vestram litteras commendatitias. Praecamur Magnificentiam Vestram, si eandem iuvandarum rerum iustitiarumque suarum caussa[a] supplex his nostris patentibus litteris, atque Magnificentiae Vestrae intercessorias litteras ad Senatum Vuilnensem, quas unice efflagitat, ac deinde consilium, auxilium et opem in adflictis iniuste rebus suis humillime implorarit, ne praedictum doctorem Franciscum, subditum ac servitorem nostrum, destitutum relinquat, sed nostro intuitu nostraeque arctae necessitudinis vinculi gratia pro caussae suae aequitate et iusticia consulat, iuvet[b] ac commendatum habeat Magnifica Vestra Amplitudo. Quod nos erga eam ipsam, ut amicum longe gratissimum, suosque omnes omni studio et diligentia olim promerebimur. In cuius testimonium praesentibus tergotenus sigillum appressum est. Datum Konigsbergk, 16 Maii XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Gastoldum, 16 Maii.

a) *in ms.* caussarum
b) *in ms.* iuvat
z) *sic in ms.*

*N. 400.*

*E Regio Monte, 16.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alexandro Iłowski (in ms.* Egloffski)
*de summa 3000 florenorum certis conditionibus duci mutuo dandis.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 180.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 42-43.*

*N. 401.*

*E Regio Monte, 16.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*universis*
*litterae liberi passus pro doctore Francisco Skoryna de Połocko.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 530-531.*

Albertus, Dei gratia etc.

Omnibus et singulis, cuiuscunque status, conditionis et dignitatis extiterint, ad quos praesentes nostrae litterae pervenerint, salutem, benevolentiam, gratiam et quicquid grati praestare possumus, prout id ipsum pro cuiuscunque status, condicionis dignitatisque decoro atque eminentia licitum est et fieri debet. Atque vos omnes et singulos scire volumus simulatque significamus praesentibus, nos egregium et multiiugae eruditionis virum Franciscum Scorina de Polotzko, arcium[z] bonarum atque medicinae doctorem, in subditorum et servitorum nostrorum fidelium numerum adscivisse et suscepisse. Porro quia nunc ipsum sua negocia, bona ac res suae hinc atque alio vocant, a vobis omnibus et singulis amice petimus et gratiose cupimus, quo praedictum doctorem Franciscum, a ministeriis nostris fidelem et in iustis suis causis,

si ita res, casus atque occasio tulerit (ut sunt res humanae plus quam incertae, variabiles, debiles ac inconstantes), nostro intuitu iuvare, et ne quid illi iniuriarum usquam fiat, respectu aequitatis et iustitiae tueri ac commendatum habere, atque in hac sua peregrinatione tuto, secure, libere et sine[a] omni impedimento per terras, ditiones, districtus ac dominia vestra peragrare atque iter facere concedatis, cum propter egregii viri incomparabilis ingenii artisque praeclarae medicae dotes atque experientiam laudabilem, tum nostri honoris gratia, omni benevolentia, favore atque iuvamine prosequi. Quod ipsum nos erga vos omnes et unumquemque, secundum cuiusque et status et conditionis dignitatem atque reverentiam, pari diligentia, studio ac voluntate benevola promerebimur, et ne quid desit harum rerum roboris, testimonii ac fidei, praesentibus fecimus sigillum nostrum appendi. Datae e Regio Monte decimo sexto die mensis Maii anno a vindicato orbe per Christum MDXXX.

*In initio epistolae supra:* Literae passuum, *et in margine:* Literae passuum, 16 Maii.

a) *sequitur expunctum:* et sine
z) *sic in ms.*

*N. 402.*

*E Regio Monte, 16.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*pro studio et opera in bobus et sale ad usum sororis suae ducissae Thessinensis coemendis adhibito gratias agit; de modis solutionis eum edocet; aliquot equos a Severino Boner ad currum ducissae aptos sibi procurari petit; quod de Iacobo Brzozowiec (Brzozowicz) in servitium ducis assumendo statuit, acceptat.*

*(Schedula: de limitibus inter Prussiam et Samogitiam non violandis).*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 56-57v.*

Ann Nickel Nibschitz denn 16 tag May.

Wir haben dein schreyben allenthalben vorlesen und bedancken uns erstlichen des vleiss, so du der ochsen und des saltz unser freuntlichen, lieben schwester, der hertzogin zu Teschin[1], halben bey ko. mt. angekart. Was aber unsere bezalung belanget, sein wir nicht in abreden, das die vorschreybung nicht hoher dann uf XXVIII groschen polnisch lauttet, auch das bissher uns nicht mehr gegeben. Nachdeme sich aber nuemals die muntze dermassen zugetragen, das die preussische muntze mit der polnischen gleich ist, so wirt zu Polan und auch zu Preussen hinforder ein gulden nicht geringer genant noch genommen, denn uff XXX groschen. Derhalb begeren[a] wir von dir, du wollest nochmals fleissiglichen mit forderung unsers freuntlichen, lieben brudern, her Cristoffs von Schidlowitz, bey ko.mt. bitten, das uns ire[b] mt. hinforder in der bezalung unsers geldes XXX groschen vor einen gulden geben wolle, mit dienstlicher, freuntlicher erbietung, das wir solhs umb ko.mt. vordienen wollen.

Wir begeren auch, du wollest dem hern Baner[2] unsern gunstigen

grus sagen und ynen von unsertwegen bitten, das er uns etzliche grobe, starcke und sonderlich grawe, schone wagenpferde zumlichs kauffs erkaufen und zuschicken wolle, weliche wir vor unser freuntlichen, lieben gemahell[3] wagen zu gebrauchen bedacht. So wollen wir ime das gelt, so sie gestehen, dengklich bezalen lassen und solichs auch umb ynen gnediglich beschulden.

Wes du auch mit Jacob Brzesevitz diensts halben gehandelt und beschlossen, lassen wir uns gefallen; sal yme auch also gehalten werden. Aber uff ditzmal haben wir eyle halben yme den bestallunbrief nicht zufertigen und mitschicken mogen. Begern beschliesslich, du wollest uns neue zeitung zuschreiben, und dir mit gnaden seint wir geneigt. Datum Konigspergk ut supra.

a) *in ms.* gegeren
b) *in ms.* vile

1) *Anna.*
2) *Severinus Boner.*
3) *Dorothea.*

*Schedula:*

Lieber, getrewer.

Es hat uns auch unser amptman zur Tilsit geschrieben und zu erkennen gegeben, wie sich ein baygar aus Samaiten untherstehe den leuten, so uff der grenitz zwuschen Preussen und Samaiten in demselbigen ampte wonen und umb weliche wir mit den Samaiten in irrung stehen, umb ziensse anzuziehen, undterwinde mit anzeigung, das er solichs von unser freuntlichen, lieben und gnedigen, lieben frawen und muhmen, der konigin, in bevelch habe und solhs von irer mt. wegen thue. Welchs wir uns nicht vorsehen nach glawben konnen, nochdeme in der jungsten vorneuerung des ewigen frides und vortrags zwuschen dem grossfurstenthumb Litthawen und unsers hertzogthumbs Preussen durch ko. mt. alle stende des grosfurstenthumbs Litthawenn und uns umb alle irrige grenitzen ein stilstanndt biss uff besichtigung und erkantnus vorwilliget und angenomen. Begeren derwegen von dir im vleysse, du wollest solhs fuglicher weyss an ko.mt. und auch die konigin tragen und ire mt. baide von unserwegen bitten, das sie gnediglichen verschaffen wollen, das uns in unsere grenitzen nit ingriffe gescheen; besonder, das dem angenommenen vorwilligten stilstannde nachgegangen und sich vor erkentnus und besichtigung der grenitzen an dem odder anndern ortern nichts neues undterstanden werde, als wir dann unsers theyls gerew thun wollen und uns des und aller billigkait zu baider irer ko.mt. unzweyfflichen vorlassen. Das wollen wir umb dich in gnaden beschulden. Datum ut in litteris.

*N. 403.*

*E Regio Monte, 17.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Felici Brzeski, palatino et vicesgerenti Ducatus Masoviae,*
*pro Alberto Małachowski (in ms.* Malacheffsky), *cive Regiomontano,* « infimae atque tenuis fortunae viro », *cui in Ducatu Masoviae quaedam bona hereditate ceciderunt, interpellat, ut ea bona facile et sine ulla controversia nancisci possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 532-533.*

N. 404.

E Regio Monte, 17.V.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*cuidam « nobili ac venerabili »*
*falcones ad venationem idoneos,* « iam instructos ac cicuratos » *sibi suppeditari petit. (Hoc scriptum ad quattuor alios mittitur).*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 531-532.*

N. 405.

E Regio Monte, 18.V.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de quodam domino in Samogitia* [*Nicolao Szukowicz?*] *queritur, qui subditos suos in confiniis habitantes infestat et vexat, et rogat, ut eum rex ab eiusmodi temerariis conatibus cohibeat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 533-534.*

Post debitum servicii obsequium.

Serenissime Clementissimeque Rex.

Per praefectum meum Tilsittensem certior factus sum, Dominum aliquem Samogithiae satis temerariis conatibus homines, limites ac fines inter Samogithiam et Prussiam incolentes, infestare, census annuos et postulare et imponere. Neque deest, qua factum temerarium defendere conatur, caussa. Inquit enim hoc et voluntate et iussu Serenissimae ac Illustrissimae Principis Reginae Bonae, Maiestatis Vestrae Serenissimae consortis charissimae, Dominae meae clementissimae, se facere. Quod cum admiror vehementer, tum nequaquam spero nec credo. Quandoquidem enim in communi ac perpetua non ita pridem renovata pace et contractibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Borussiae a Serenissima Vestra Maiestate et omnibus ordinibus Magni Ducatus Lithuaniae et a me unanimiter conclamatum sit atque subscriptum, omnem istum finium ac limitum errorem, quoad inspicerentur ac viserentur, quasi mortuum ac sedatum esse debere.

Quam ob rem subdite precor Serenissimam Vestram Maiestatem, clementissimum meum Dominum, quo benigne ac clementer provideatur, ne meis finibus aliquam turbam erroremque temere faciat, sed superiori contractui pacique usque ad inspiciendi fines tempus quiete subscribant ac servent[a]. Ego me et meos ita moderabor, ne quid Serenissimae Vestrae Maiestatis subditis temerarii incepti oriatur. Quod ipsum erga Serenissimam Vestram Maiestatem, Dominum meum clementissimum, ut subditus ac fidelis Princeps omni officiorum cumulo promerebor... Datae e Regio Monte, XVIII Mai.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae et Reginam Poloniae, XVIII Maii.

a) in ms. servant (*forsitan error pro*: subscribat ac servet).

*N. 406.*

*E Regio Monte, 18.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*senatui, civibus ac incolis civitatis Vilnensis*
*Franciscum Skoryna de Połocko,* « artium et medicinae doctorem », *municipem Vilnensem, nunc aulicum suum, Vilnam se conferentem, commendat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 529-530.*

Albertus, Dei gratia etc.

Honestis, providis ac spectabilibus senatoribus, proconsulibus, consulibus, civibus ac incolis florentissimae civitatis Vuilnae in Lithuania, salutem, benevolentiam et gratiam nostram.

Honesti, providi ac spectabiles: senatores, proconsules, consules, cives et incolae civitatis Vuilnensis, ad quos spectant ac pervenient hae nostrae literae.

Significamus vobis omnibus et singulis praedictis his nostris patentibus literis, non ita diu commigrantem in nostram dicionem et Ducatum Prussiae insignem virum Franciscum Scorinam de Polotzko, artium ac medicinae doctorem, Honestatum Vestrarum a municipiis, in nostrum subditum, aulicum ac servitorem fidelem nobis dilectum suscepisse. Porro quia res suae, bona, coniux, liberi, quos apud vos reliquerat, hinc ipsum vocant, petiit nos profecturus iam hinc humillime, ut per nostras literas commendari vestrae providentiae possit. Quod illi, ut nostro subdito ac servitori fideli, denegare non potuimus.

Quam ob rem, viri ornatissimi, hunc ipsum doctorem Franciscum quam maxime commendatum habere, vos omnes et singulos benigne cupimus ac amice petimus, atque nostri nominis gratia nostroque intuitu, prout caussae iustitia et aequitas postulat, iuri suo aequo suisque rebus honestis et iustis non deesse, neque quicquam detrahere velitis, sed iustitiam, aequitatem bono viro subministrare. Et si quid ipso absente illi bonorum iniuria aliqua ademptum, benigne restituatur, atque ipsum eiusque uxorem, liberos et cum corporis, tum caetera bona tueri, fovere ac ab omni iniuria vindicare [velitis]. Hoc nos vicissim erga spectabilitatem, honestatem ac providentiam vestram et erga vos omnes et singulos pari benignitate, propensa voluntate[a)] et gratia promereri non negligemus. In cuius rei testimonium praesentibus nostrum sigillum tergotemus adpressum est. Datum e Regio Monte, XVIII mensis Maii, anno ab incarnatione Christi MDXXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Senatum Vuilnensem, XVIII Maii.

a) *sequitur expunctum:* erga

*N. 407.*

*E Regio Monte, 23.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*cuidam « nobili ac magnifico »*
*pro avibus et canibus sibi dono missis gratias agit, et quia duo ex missis falconibus mortui sunt, alios duos sibi mitti petit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 534-535.*

N. 408.

*E Regio Monte, 26.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*pro studio et opera in se et in totam Domum Brandenburgensem adhibita gratias agit; negotium fratris sui Gulielmi marchionis Brandenburgensis commendat; Iudaeum medicum et typographum suum, a Francisco Skoryna Vilnam abductos, repetit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 535-537.*

Quandoquidem vere amicis nil magis in votis est atque istorum, quos intimos charosque habent[a], fortunae et salutis prosperitatem audire, nolebamus igitur hoc ipsum committere, ut Magnificentiae Vestrae Amplitudo, cuius in nos amorem, ardens studium atque officium[b] amicum[c] usque perspeximus, nostrae valetudinis inscia esset, quae adhuc Dei beneficio satis ex sententia prospere succedit. Valemus recte atque bene una cum Illustrissima ac charissima consorte nostra[1], idem precantes utrique Magnificentiae Vestrae Inclytae et charissimae suae coniugi[2] cum suavissimis liberis, quos Dominus Deus quam diutissime sanos salvosque simul conservet[d]. Porro pro officiorum ac oblatae in nos semper indefessae operae studio, quod cum amice promittunt Magnificentiae Vestrae litterae nobis gratissimae, tum non ignoramus nec dubitamus, quin illud ex syncero et amico animo proficiscatur, gratias agimus immortales.

Atqui quae nobis in Illustrissimi Guilhelmi Marchionis etc., fratris nostri charissimi, negocio sedulo pollicitata obsequia, quaeque ex relatione thesaurarii Reverendissimi Episcopi[3] Vilnensis fortunata fraternae caussae indicia atque auspicia, quod Christus faxit, nobis perscripsit, tam grata sunt quam hic nobis charus est, est enim charissimus. In qua re testatur rursum Magnificentiae Vestrae Amplitudo Inclyta, quam non ficto animo nos Domumque totam Brandenburgensem prosequatur. Pro quo tam officioso in nos animo ac studio nunc pro tempore gratias agimus benignas tantum, olim offerente se occasione pari benignitate relaturi. Precamur autem amice, quo fratris nostri charissimi, Marchionis Guilhelmi, negocium unice Vestrae Magnificentiae commendatum sit, ac ea, qua hactenus fecit, sedulitate promoveat et quo nunctius ille, qui in Livoniam destinatus erat, si non allegatus est, quod tamen speramus, quam primum mittatur[e]. In ea re non defuturam Magnificentiae Vestrae operam, quam confidimus. Quod ipsum nos omni benevolentia et propensa grati animi voluntate amice merebimur ac benigne rependemus erga Magnificentiam Vestram.

Dum eramus Cracoviae non ita pridem, detulit se nobis Iudeus aliquis, medicam artem se profiteri asserens, multisque precibus nobiscum contendens, quo in nostra ditione in nostrorum subditorum morbis adflictorum salutem, nostro consensu atque voluntate, salutiferam artem suam medicam exercere passim sibi liceret. Cuius petitionibus, nostris subditis non infrugiferis existimatis, benigne subscripsimus atque concessimus. Et ad civitatem nostram Regiomontanam se una contulit, accepit conditionem, multos sub sua curatione et caecos et alios varieque affectos[f] aegrotantes ibidem suscepit. Interim quoque aderat doctor aliquis Franciscus Scorina, quem et in familiam nostram aulicam accepimus. Is ob sua negocia, quae Vilnae habere et ibi se

commorari asserebat, datis quoque ad Magnificentiam Vestram nostris cum illo litteris, hinc proficiscens, verborum forte suorum lenociniis hominem istum Iudeum ac nostrum typographum secum clam abduxit, relictis interim hic a Iudeo magnis infirmatorum incuratorum ab ipso catervis, quos curare ceperat, non sine istorum misserrimorum aegrotantium et damno et valetudinis iactura, deinde non minori nostrarum rerum dispendio, quas typis excudi facere animus erat. Quod hominis protervum factum nonnihil nos male habet, tum ob nostram, tum nostrorum iniuriam.

Quam ob rem amice precamur Magnificentiam Vestram Inclytam, quo huiusmodi doctorem Franciscum Scorinam edoceat in ea nostrorum hominum clandestina abductione atque indicet, nos[g] nihil bene placiti et benevolae voluntatis habere atque nil minus quam hoc factum ab eo immeritos sperasse; et ut quam primum praedictum Iudeum ad suos, quos hic semicuratos reliquit, ac nostrum typographum huc a se abigat nobisque restituat. Hoc nos benemerendi nostra propensa voluntate erga Magnificentiam Vestram Inclytam referemus. Quam optime beneque cum uxore ac liberis charissimis valere cupimus. Datae e Regio Monte 26 Maii.

*In initio epistolae in margine:* Ad Gastoldum, 26 Maii.

a) *correctum ex*: habemus
b) *in margine.*
c) *sequitur expunctum*: studium
d) *in ms.* conservat
e) *in ms.* mittantur
f) *correctum ex*: affeactos
g) *pro expuncto*: vos *suprascriptum.*
1) *Dorothea.*
2) *Sophia Wierejska.*
3) *Ioannes a ducibus Lithuaniae.*

## *N. 409.*

*Fischhausen, 31.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgravio et zuppario Cracoviensi,*
*rogat, ut apud regem studeat, quo aliquot coloni Caroli Kuczer, ei (Severino Boner) servitute publicorum laborum* (frone oder scharwergk) *obligati, ab eiusmodi laboribus liberentur et ad dominum suum remittantur.*

*Ostpr. Fol., vol., 42, ff. 58-59.*

Ann Severin Paner denn letzten May.

Nachdem wier auf anlangen und dienstlich bitten unsers besundern lieben Karel Kuzschers ko.mt. zu Polen, unsern gnedigsten und freuntlichen, lieben herren und ohemen, kurz vor unserem abscheid von Crakaw undertheniges vleis ersucht und gebeten, s.ko.mt. wolten in ansehung solcher unser furbit demselben Kuzscher so genediglich erscheinen und etzliche bauren, ime zustendigk, der frone oder scharwergks etc. aus ko. gnaden erlassen, und aber s.ko.mt. uns domals angezeigt, das solche pauren zu euren guttern mit der frone oder scharwergk gehörten. Es wolten aber s.ko.mt. mit euch derhalben reden und alsdan uff unser furbit konnigliche antwort widerfaren lossen. Daraus wier dan geursacht, euch durch unsern diener Felix vonn Al-

den derhalben zu ersuchen, anzusprechen und von unsertwegen zu bitten lassen, bey ko.mt. furderlich zu sein und euch solche pflicht der pauren, dieweil sie doch geringe daran nit hindern lassen, damit gedachter Kutzscher wilferige antwort erlangen mochte. Welcher uns dan widerumb bericht, das ir in ansehung unser bith und begerens euch gutwillig, des wier uns gegen euch genediglichen bedancken, erzeigt und bewisen hette. Dieweil aber gemeltem Kutzscher bisher noch kein entliche antwort von ko.mt. hierinne gegeben und wir s.ko.mt. hieneben geschrieben und abermals gebeten, denselbigen Kutzscher ko. und gnedige antwort dis stucks halben zu widerfaren lassen, so ist an euch unser gutlich bith, ir wollet bey s.ko.mt. umb genedige ko. antwort zu erlangen, euren vleis darthun, also das vielgedachter Kutzscher unser furbith bey ko.mt. und euch genossen zu entpfinden habe. Das wollen wier hinwiderumb in solchem und mererem gantz genediglichen gegen euch beschulden. Datum Vischhausenn ut supra.

*N. 410.*

*Fischhausen, 31.V.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*gratias agit pro nuntio matrimonii Ioannis Tarnowski cum filia Christophori Szydłowiecki [Sophia]; obsequia Caroli Kuczer eiusque coniugis sibi oblata grate accipit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 57v-58.*

*N. 411.*

*Fischhausen, 1.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*commendat negotium Caroli Kuczer, ut ei coloni aliquot, Severino Boner nonnullis* « ministeriis ac laboribus publicis obnoxii », *remittantur; de Gedanensibus edicto regio in re monetaria edito non parentibus queritur; de episcopatu Culmensi in Ioannem Dantiscum collato gaudet.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 539-540.*

Praemissa debiti servitii et obsequii mei reverentia.
Serenissime ac Clementissime Rex.
Etsi non credam Maiestati Vestrae Regiae memoria excidisse, dum eram apud eandem Cracoviae, pro Carolo Kutzscher precibus meis intercessisse, quo illi aliquot coloni sui, Severino Banero alioqui mi-

nisteriis ac laboribus publicis obnoxii, a Clementia Vestra Regia benigne ac clementer remitterentur. Cui Regia Vestra Maiestas se cum Severino Baner de ea re acturam prius respondit. Quod clementer a Maiestate Vestra factum esse non diffidimus. Attamen quia dudum expectat Regiae Vestrae Maiestatis responsum Carolus praedictus, rursus non veritus sum Maiestatem Vestram Regiam adire precibus ac iterum de eadem re importune[a)] obtundere. Sed quia unice illi bene cupio, quam maxime Serenissimam Maiestatem Vestram, ut Dominum meum clementissimum, rogatam habeo, eadem non dedignetur Carolum praedictum clementi suo responso atque adeo, quo nostras intercessiones precesque sibi usui ac commodo pro votis ac animi sui sententia fuisse intelligat. Quod ipsum erga Maiestatem Vestram, ut Dominum meum clementissimum, omnibus viribus noctu diuque officiorum ac serviciorum meorum cumulo promerebor.

Relatum est mihi hac die certissimis nunctiis, Rex Clementissime, apud Gedanos Regiae Vestrae Maiestatis edictum monetarium Cretensium more observari. Nihil aut parum veterem monetae usum mutarunt. Negociatores ibidem in re monetaria ne latum, quod aiunt, digitum a priori monetae ratione, quam usque defendere conantur, recedunt. Porro mandatum Regiae Vestrae Maiestatis, in paucissimas horas[b)] adfixum, praecones sive lictores civitatis mox avulsisse. Quo vero inductu et sententia factum sit, certe ignoro. Hoc unum scio: me et meos mandato regio sic paruisse, ut locus inobedientiam culpandi esse non queat; quam autem nostrorum miserrimaeque plebis clade inresarciabili, nulli melius, quam qui domi deploratam fortunam lugent, sciunt. Sed non dubitemus[z)], quin iis succurrat pro sua clementia Maiestas Vestra Regia, quo aeque per omnia observetur. Quod si futurum est, minus iacturae et discriminis timemus.

Quod Regia Vestra Maiestas episcopatu[c)] Lobensi[1)] Ioannem Danciscanum clementer donarit, quam fortunam quamquam animo exoptassem Domini Christofferi Schidlovitzki, Regiae Vestrae Maiestatis cancellarii[d)], famulo[2)], pro quo intercessi, sed quia aliter Maiestati visum Vestrae est, Dancisco non invideo, verum gaudeo et illi gratulor, ut et a litteris bonis et Regia Vestra Maiestate non immerito, atque qui in posterum de eadem, si quid praetermissum est, mereri possit. Et quia ita Maiestatis Vestrae clementia suos fideles dilectos pro meritis egregie exornare solet, precamur Maiestatem Vestram Regiam quam maxime, si quid huiusmodi ceciderit, episcopatu quoque fidelem suum dilectum Ioannem Cointzky clementer donet et ut in tali casu primus esse queat. Hoc ego omnibus conatibus et officiis erga Maiestatem Vestram Regiam subdite rependam. Quam diu foelicem, sanam salvamque esse et bene valere cupio. Datae Vischaussen, 1 Junii 30.

*In initio epistolae supra:* Pro Carolo Kutzscher; *et in margine:* Ad Regem Poloniae, 1 Junii.

a) *in ms.* importunae
b) *verbum correctum.*
c) *correctum* ex: episcopatum
d) *in ms.* cancellario

z) *sic in ms.*
1) *recte*: Lubaviensis (*Culmensis*)
2) *Paulus Płotowski, praepositus Varmiensis.*

N. 412.

Fischhausen, 1.VI.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de negotio fratris sui Gulielmi marchionis Brandenburgensis; de motibus nuper in Livonia excitatis iam frigescentibus; de quibusdam praecipuis commendatoribus Ordinis in Livonia* «parata atque instructa armatura» *se moventibus et eiusmodi motuum causis.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 540-542.*

Litteras Serenissimae Maiestatis Vestrae proximas ea, qua decuit, honoris observantia et exosculatione accepi ac intellexi. Quod vero mihi de negocio fratris mei charissimi, Guilhelmi Marchionis etc., Maiestatis Vestrae ac primorum suorum consiliariorum sententiam et consilium aperuerit, pergratum fuit. Et quia fratris mei in Livoniam profectio cum orathoribus[z] Maiestatis Vestrae Regiae nonnihil discriminis habere videatur, et cum consiliariis Maiestatis Vestrae Regiae primis, tum ipsi Serenissimae Vestrae Maiestati[a], inconsultum ac non satis tutum iter ob eiusdem provintiae nonnullos tumultus[b] esse[z], cui consilio, ut a prudentioribus profecto, volens acquiesco ac in Maiestatis Vestrae Regiae sententiam semper, ut debeo[c], libentissime manibus pedibusque, quod aiunt, eo. Allegavi vero non ita pridem eadem de causa in Livoniam ad Magistrum[1] eiusdem provintiae meum nunctium, cuius in dies expecto reditum. Is quidquid mihi reportarit inde responsi, mox significabo Maiestati Vestrae Regiae ac eius, ut clementissimi mei Domini, semper ut hactenus, ita in omnibus rebus sententia et consilio, quibus usque nihil prius duco, utar.

Porro subintellexi excitatos[d] nuper Livoniensium motus, per sese tamen sedaciores[e] factos ac in dies magis, ut solent temerarii conatus, frigescere. Verum eiusdem provintiae commendatores praecipuos sursum ac deorsum parata atque instructa armatura se movere accepi, idque ob has, ut quidam referunt, potissimas caussas: Nam Magistrum Livoniae fama est adversa valetudine teneri; quod coniiciunt ex ocissime accersitorum medicorum vocatione a Riga. Deinde acerbius quiddam adiiciunt alii, eundem Livoniae Magistrum fatis plane concessisse[f] ac naturae debita semel solvisse in hac vita. Postremo quia Regia Maiestas Daniae[2] armata classium manu Balticum ac Gotticum mare ad portus Rigenses usque perlustrat ac occupat, sive id ad profligendam[z] Severini a Norbio[3] aliorumque piratarum violentiam[g], sive quo privilegia ac iura regia, quae habet Maiestas Sua ex predecessorum suorum fundatione, in episcopatus Rigensis ecclesia auxiliatur[z] vindicetque an vero defendat[z]. Hae, quas citavi, caussae provintiae Livoniensis commendatores armatos detineant, non admodum adhuc mihi constat. Verum quam primum rescivero, uti sese cum his rebus omnia habeant, non committam, quin per meas litteras Sacra Vestra Maiestas Regia cercior fiat[h], quam quicquam latere per me nefas duco. His ego Maiestatem Vestram Regiam, ut Dominum meum clementissimum, Domino Deo in salutiferam ac longinquam Imperii latissimi ac dicio-

num potentissimarum gubernationem commendatum cupio. Bene valeat Regia Vestra Maiestas Serenissima. Cui me iterum atque iterum commendo. Datum Vischausen, primo Iunii 30.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae primo Iunii.

a) *in ms.* Maiestatis
b) *in ms.* tumultos
c) *sequitur expunctum:* volens
d) *partim in margine.*
e) *verbum correctum.*
f) *in ms.* concesse
g) *in ms.* violentiamentiam
h) *in ms.* fiet
z) *sic in ms.*
1) *Valterus a Plettenberg.*
2) *Fridericus I.*
3) *Severinus Norby.*

*N. 413.*

*Fischhausen, 1.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de matrimonio filiae eius Sophiae cum Ioanne Tarnowski inito et de concordia inde secuta gaudet; pro officiis, quibus se et totam Domum Brandenburgensem prosequi pollicitus est, gratias agit; ressponsum de Anna duce Masoviae se intellexisse nuntiat; de statu rerum in Livonia ad regias litteras eum remittit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 542-544.*

Salutem ac quaecunque gratissima a fratre praestari possunt, exoptamus Illustri Magnificentiae Vestrae, ut germano nostro, quo nihil nobis et charius et amabilius unquam esse potest, ubique paratissima.

Quod prioribus litteris, quas Illustris Magnificentia Vestra ad nos cum puero nostro Stephano dedit, non respondimus, in causa fuit, quod hae priores anteverterunt[a]. Itaque pro binis nunc unas literas mittimus, nihilominus tamen utrisque respondentes. Primum priores responsione absolvemus. Quae Vestra Illustris Magnificentia de filia Sophia aetate grandiore in matrimonium Magnifico Domino Ioanni Comiti a Thornaw desponsata scriptis suis nobis denunctiavit, plane prae gaudio tripudiare ac exultare fecerunt animum nostrum. Gaudeo igitur ac gratulor Illustri Magnificentiae Vestrae, cuius ut charissimi fratris fortunatis rebus atque domus[b] totius prosperitati suorumque omnium secundis successibus tam bene volumus quam nobis nostrisque omnibus, filiae Illustri ac[c] charissimae, vel Principe dignae, dignum adeptum[d] esse generum[1] ac numerum necessariorum amicorumque auctiorem factum. Gratulor Illustris Vestrae Magnificentiae charissimae filiae, quam Dominus Deus in hoc genus vitae duxit, quod ut ipse primum omium propagator terrarum orbis instituit ab initio, ita sanctissimum fore voluit, addita dexterae suae consecratione ac foelici omine. Neque dubitamus, quin et hoc ipsum, cuius rei author est, pro paterna ac coelesti sua benignitate foveat, fortunet ac augeat.

Gaudemus denique ac gratulamur[e] sanctissimae concordiae, quam ex hac desponsatione factam Illustris Magnificentia Vestra scribit. Foe-

lix omen in initio collocatae filiae in matrimonium se exhibuit, foeliciora fortunante Christo longe in perpetuum sequentur. Non potest non quod ex Dei voluntate fit, divinum aliquod specimen ex se praebere. Sancta res ac voluntas Dei matrimonium est. Hoc sanctam subinde mox concordiam, qua omnia cresci dicuntur, peperit eamque, quo magis credamus divinum esse, quam nec Rex nec Regina potuerunt efficere. Christus diu istam concordiam, qui pacis solus author est, inter vos omnes integram servet.

Quod autem nunc non solum fratre inclyto Magnificentiae Vestrae[f] suorum officiorum pollicetur sedulam operam, quam nunquam dormitantem comperimus, verum etiam quia porro aucta amicorum et generi necessitudine non nos modo, sed et inclytam domum nostram universam maioribus atque honoratioribus officiis prosequutura sit, gratias agimus immortales Illustri Magnificentiae Vestrae. Cui vicissim ac suis omnibus semper referendi propensa nobis est voluntas, neque aliud quam occasionem nostrum animum erga Illustrem Magnificentiam Vestram suosque omnes testificandi querimus.

Nunc posterioribus litteris, quae primae venerunt, paucissimis respondemus. Regiae Maiestatis, clementissimi nostri Domini, responsa caussa Illustris Principis Mazoviae Annae intelleximus, et quia regia clementia id in consultationem distulit, quiescimus et ad illius sententiam, quicquid hoc est, referimus, nostraque arbitrio stentque cadentque suo omnia. De statu Livoniae quid libet cognoscere, intelliget Illustris Magnificentia Vestra ex regiis litteris. Bene valeat Illustris Magnificentia Vestra cum Illustri ac charissima coniuge[2] dulcissimisque liberis. Ex Vischausen 1 Iunii.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christofferum a Schidlovitz, ut supra.

a) *in ms.* anterverterunt
b) *in ms.* donnus
c) *bis scriptum.*
d) *in ms.* ademptam
e) *verbum correctum.*
f) *sic in ms., fortassis error pro:* frater inclyte, Magnificentia Vestra
1) *Ioannes Tarnowski.*
2) *Sophia de Targowisko.*

## *N. 414.*

*Fischhausen, 1.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*rogat, ut causam Caroli Kuczer* (Cutzscher) *apud regem ita promoveat, ut ei coloni aliquot, servitute quorundam laborum Severino Boner obligati, remittantur.*
*(Schedula: nova sibi ex Germania missa accludit; eum et uxorem eius salutat).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 189.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 544-545.*

*N. 415.*

*Fischhausen, 1.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tarnowski, palatino Russiae, exercituum R.P. capitaneo generali, de matrimonio cum filia Christophori Szydłowiecki [Sophia] ei gratulatur atque omnia fortunata et prospera ominatur; negotia sua apud regem promovenda commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 545-546.*

*N. 416.*

*Fischhausen, 1.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*magistro curiae reginae Bonae [Nicolao Wolski]*
*salutem dicit et de valetudine regis et reginae saepius certior reddi cupit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 538-539.*

*N. 417.*

*Fischhausen, 1.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Zachariae [Italicio], Christophori Szydłowiecki secretario,*
*pro novis missis gratias agit et in futurum, si quid scitu dignum evenerit, sibi scribi petit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 537-538.*

*N. 418.*

*Gedani, 6.VI.1530.*

*Proconsul et consules Gedanenses*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*navim onerariam, quam dux Albertus ab eis emere velit, nunc vendi non posse significant, nam sit a factore Emanuelis (sic in ms., recte: Ioannis) regis Portugalliae conducta et, variis mercibus onerata, propitios ventos in portu exspectet, ut Ulisipponem (in ms.* Ulisbonam*) versus vela dirigat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 546-548.*

*N. 419.*

*E Regio Monte, 13.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*intercedit pro Quirino Schlick, cui controversia est cum quodam cive Culmensi, ut ob mortem unius ex commissariis, episcopi scilicet Culmensis [Ioannis Konopacki], nova commissio ad hanc causam componendam a rege instituatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 548-549.*

*N. 420.*

*E Regio Monte, 14.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de negotio villae Coadiuten (Koczyce) et de iniuriis ac damnis subditis suis in confiniis cum Samogitia habitantibus illatis queritur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 549-552.*

Si quid in me est prompti obsequii atque voluntatis benevolae, hoc in universum Regiae Vestrae Sublimitati expositum usque esse cupio.

Serenissime et Clementissime Rex.

Non arbitror Maiestati Vestrae excidisse, tocies apud eandem sollicitantibus litteris me de gravamine et exactionibus censuum in eos, qui fines ac terminos inter Prussiam et Samogithiam incolunt, per quosdam impositis ac postulatis, egisse[a]. Neque potueram induci, ut crederem, ac ne nunc quidem credo, quod illi tum caussabantur: hoc ipsum iussu ac voluntate et Vestrae et Reginalis Maiestatis[1], clementissimorum Dominorum meorum, fieri. Quandoquidem utraque pars nostrum in hoc annuit ac subscripsit, huiusmodi finium ac[b] terminorum incolas censum[c] ac annuum debitum comportare ac reponere debere, donec utri parti in iusta istorum erroneorum finium aestimatione ac visitatione huiusmodi coloni iure cederent, perspectum esset. Verum nunc aliter sese rem habere testantur Maiestatis Vestrae subditi ac praefecti Georgenburgensis ad praefectum nostrum Tilsittensem litterae, quarum exemplar praesentibus inclusum Maiestati Vestrae transmitto.

In iis enim, ut videre est, caussatur Maiestatem Vestram scribae cuidam nomine Andreae, Maiestatis Vestrae servitori, litteris mandasse, ut curam villae, Coadiuten dictae, in terminis ac finibus praedictis sitae, susciperet et cuivis[d] coloni nomen adnotaret, addito quoque a Reginali Maiestate una cum litteris aulico ac nunctio, praedictam villam Coadiuten praefecturae suae Georgenburgensi ut adderet. Haec omnia a se, ut regiis mandatis obsequundante, curata esse non it inficias. Deinde addit: quamquam coloni nominatim scripti ac census eis impositi, nihil tamen hactenus ab eis exactum esse. Quam purgationem timeo, ne nonnihil proprii questus et[e], ne quid acerbius di-

cam, clandestinae rapacitatis, insciis Maiestatibus Vestris Regiis, secum adferat. Nam certus sum ex meorum subditorum relatione, aliquot quadrigas ereptorum a praedictis colonis bonorum non sine vi ipsos evexisse.

Quae res cum et in miseros colonos, tum et in[f] me odiosa ac nonnihil iniuriae merito videatur. Qui speraram atque adhuc spero, praedictam villam Coadiuten in iusta ac aequa finium aestimatione mihi iure adscribi. Atqui si in diversum mihi pronunctiaretur sententia, quod tamen non confido, non tamen non huiusmodi Maiestatis Vestrae, clementissimi mei Domini, subditorum calamitosae iniuriae, aeque ac Maiestatem Vestram, me commoveant. Cuius suorumque omnium salus ac prosperi successus non minus quam nostri nostrorumque curae sunt ac esse debeant. Ob id ego praefecto meo Tilsittensi scripsi ac commisi, si vertentes huiusmodi expilatores, plus ut aveherent, animadverteret, mox ipsos arriperet ac mihi vinctos mitteret. Ego verum statim Maiestati Vestrae plectendos transportandi curam haberem. Persuasum autem habeo, Regia Vestra Maiestas pro sua clementia inspici faciat, ne qua vis aut iniuria in iis finibus ac terminis praesumatur porro, sed iuxta, ut prius unanimiter pronunctiatum est ac uti Lithuanici contractus erectaeque conditiones postulant, usque ad finium ac limitum praedictorum iustam legittimamque aestimationem ac visitationem pacifice quiescatur. Quae denique sit in hac re Maiestatis Vestrae sententia, precor quam primum me sua clementi responsione non destituat, ut quid in eo errore sperem, certior fiam[g]. Hoc ego omni obsequendi studio erga Maiestatem Vestram, ut clementissimum meum Dominum, sedulo rependam ac promerear. Bene ac quam foelicissime valeat Maiestas Vestra Regia, cui in nestoreos annos foelix, faustum ac tranquille[z] sit imperium, precor. E Regio Monte, 14 Iunii anno a nato Christo 30.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, 14 Iunii.

a) *correctum ex*: exegisse
b) *sequitur expunctum*: incolarum
c) *in ms.* censuum
d) *error pro*: cuiusvis
e) *sequitur expunctum*: ex
f) *sequitur expunctum*: nos
g) *correctum ex*: fierem
z) *sic in ms.*
1) *Bona.*

### *N. 421.*

*E Regio Monte, 14.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de litteris, in causa navis onerariae regi Daniae* [*Friderico I*] *vendendae a Gedanensibus ad regem Poloniae scriptis, a se apertis se excusat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 553-554.*

Nulla tam magna, prompta atque ardua fidelis et subditi Principis obsequia, quae debiti officii admoneant, excogitari possunt, quin ea omnia Maiestati Vestrae a me paratissima esse velim.

Serenissime atque Clementissime Rex.

Quandoquidem subditis meis precibus litteras ad Senatum Danciscanum a Maiestatis Vestrae Regiae clementia pro vendenda oneraria ac iam pridem magna mole fabricata apud illos nave nactus eram, statim curavi eas ad Gedanenses perferri. Quibus ipsi Maiestati Vestrae Regiae missis ad me vicissim litteris, ut eas[a] transferri curarem, respondent. At vero cum Regia Maiestas Daniae[1], parens ac consanguineus meus charissimus, cuius gratia haec tota fabula acta est, responsionem meam, [ut] sibi huiusmodi navim emendi copia detur, expectet, dudum deliberavi mecum, auderem-ne Maiestati Vestrae dicatas litteras aperire, neque id iniuria, qui nihil commissionis, nihil traditae ac concessae authoritatis haberem, Maiestatis Vestrae ac clementissimi mei Domini litteras temere aperire. Quid enim foedius ac magis temerarium quam alienas litteras, vel ab hostibus immunes, legere?

Verum ne videar tamen minus consulte fecisse, aderat mihi a consiliis Dominus Iustus Ludovicus[2], Maiestatis Vestrae dilectus fidelis. Deinde ausum hunc excusabiliorem mihi videbantur reddere, cum quod nonnisi de navi responsum tantum adferrent litterae, tum quod Regiam Maiestatem Daniae, quid in ea re sibi sperandum esset, quam primum lectis litteris certiorem facere cuperem. Eae, Rex clementissime, excusatum me habeant caussae ac rationes, si quid videatur, quod hoc ausu me temeritatis insimulare posset. Ipsas vero litteras, ut aperui, Maiestati Vestrae Regiae in praesentiarum mitto, quam humillime rogans, Sublimitas ac Clementia Vestra Regia hanc meam audaciam pro sua benignitate non aegre molesteque ferat, sed ignoscat suo fideli ac subdito Principi. Quod mea subdita, sedula ac debita studia obsequiaque erga Maiestatem Vestram Regiam, ut clementissimum meum Dominum, summis viribus summaque, qua decet, observantia promereantur. Iterum atque iterum bene valeat Maiestas Vestra Regia. Cui me unice quam humillime commendo. E Regio Monte, 14 Iunii 30.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, 14 Iunii.

a) *in ms.* eis
1) *Fridericus I.*
2) *Decius.*

*N. 422.*

*E Regio Monte, 14.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, litteras regi scriptas mittit et rogat, ut eas regi porrigat; negotia sua commendat; eum et consortem salutat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 554-555.*

N. 423.

*E Regio Monte, 14.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*postulat, ut homicida quidam Ioannes, « molitor Polonus » cognominatus, qui in districtu Insterburgensi perpetrato homicidio in Lithuaniam sese contulit et ibi in oppido Rajgrod vitam agit, arripiatur et in eum locum reportetur, ubi crimen suum perpetravit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 552-553.*

Salutem et omnem benevolentiam nostram.

Magnifice ac Generose, amice nobis dilecte.

Fecit nos praefectus noster Insterburgensis certiores hominem eo tempore, suae praefecturae subditum nomine Ioannem, Polonicum molitorem cognominatum, inexpiabile ac pene inauditum nephandumque homicidium perpetrasse ac mox in Lithuaniam, patrato impio scelere[a], recta se contulisse, ibidem in civitatula quadam, Regrath[1] dicta, morari civemque agere. Postquam vero cognitum est hominem sceleratum ibi se continere, expostulavit cum illo ac caeteris, ibidem rerum summam tenentibus, missis ad hoc suis famulis praefectus noster Insterbungensis supradictus cum plenaria hominem accusandi potestate. Verum nihil effectum est. Causabantur enim suum civem esse atque ob id non posse in alieno imperio iuste accusari ac capite plecti. Quorum proterva sententia omnino refragatur contractibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et nostrum Ducatum Prussiae erectis, factis ac comprobatis.

Quam ob rem, cum ut ne quid in constitutos ac subscriptos contractus peccetur utrinque, tum denique ut huiusmodi sceleratum factum digna poena plectatur, benigne cupimus ac amice rogamus, Magnificentiae Vestrae Amplitudo una cum nostri praefecti Insterburgensis missis famulis suos servitores eo mittat, quo praefatum homicidam Ioannem arripiant vinctumque ad eum locum, ubi nefandum homicidium perpetratum est, reportent[b], atque subinde pro facto scelerato poenam solvat homicida sanguinolento dignam. In hoc Magnificentia Vestra cum iuris aequitati iustitiaeque et erectis contractibus satisfaciet, tum nostrae expectationi gratum faciet, maiori erga Amplitudinem Vestram obsequendi benignitate pensandum. Bene valeat Magnificentia Vestra. E Regio Monte, 14 Iunii 30.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Gastolth, 14 Iunii.

a) *in ms.* scerere
b) *in ms.* reportet
1) *Rajgròd.*

N. 424.

*E Regio Monte, 14.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*aliquot epistolas regi et Christophoro Szydłowiecki destinatas mittit et rogat ut eas eis tradat; digitabula sibi emi petit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 59.*

Ann Nickel Nibschitz denn XIIII Junii.

Wir uberschicken dier hiemit etliche brief an ko.mt., desgleichen herren Cristoff Schidlowitzky lautendth, und ein par henzog mit genedigen begern, du wollest ime, her Christoff, die briff uberantworten und unser sachen daneben treulichen helffen furdern, nichtsweniger noch disem muster vor einen gulden hentschach, dach das sie an den fingern nit so lanngk als dise seindt, bestellen, erkeuffen und zufertigen. Daran thustu uns zu dencklichem gefallen, in gnaden wiederumb zu erkennen. Datum Konnigspergk ut supra.

N. 425.

*E Regio Monte, 20.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*universis*
*litterae passus pro Romano consule Grodnensi, qui duas boum sexagenas et unam sexagenam vaccarum, in Magno Ducatu Lithuaniae ad usum ducis coemptarum, ad ducem adducere debet, ut eas secure et sine teloneorum solutione abigere possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 555-556.*

N. 426.

*E Regio Monte, 22.VI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Adriano Gołyński, castellano Czernensi,*
*de tempore perspiciendorum limitum; de re monetaria.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 556-557.*

Quae nobis Magnificentia Vestra de differendo perspiciendorum limitum tempore iuxta commissionem ac dietam, antea a Maiestate Regia constitutam, [scripsit], non videmus, qui hoc possit a nobis commode et efflagitari et fieri, quandoquidem in hoc Regiae Maiestatis sententiam vel litteris vel relatione significatam non habemus. Cui quoque diversum quiddam agere in animo non est. Deinde diu est, quod commissarios nostros eo misimus, quos et speramus rite omnia exequuturos dudum adfuisse.

Caeterum quod ad rem monetariam attinet, magno molimine atque

sumptu iuxta Regiae Maiestatis novae monetae valorem et novam cudi fecimus. Ea si quando ad summam creverit, quod brevi futurum speramus, fiet, ut vicini nostri passim, quibus monetae usus est, istius copiam habeant, tum quoque a Regiae Maiestatis clementia, quae istis omnibus pro regia sua prudentia prospiciet, in ea re quoque non destituantur[a]. Cuius mandato haec omnia aguntur. Haec Magnificentiam Vestram latere noluimus super his, quae nobis perscripsit. Bene valeat Magnificentia Vestra. Datum e Regio Monte, 22 Iunii anno etc. 30. *In initio epistolae in margine:* Adriano Golintzky, 22 Iunii.

a) *in ms.* destuant

*N. 427.*

*E Regio Monte, 4.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Hieronymo Szafraniec (in ms.* Schaffranyetz) *de Pieskowa Skała*
*duos canes Anglicos,* « in apri atque ursi venatione non postremos », *dono mittit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 557-558.*

*N. 428.*

*E Regio Monte, 5.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de legati sui in Livoniam missi reditu; de fratre suo Gulielmo marchione coadiutore archiepiscopi Rigensis proclamato et adventu eius Rigam ab omnibus exspectato; de oratore regio in Livoniam mittendo.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 558-560.*

Rediit hac hora capitaneus meus Sambiensis Schirstedt, quem in Livoniam ablegavi. Is apud Magistrum[1] eiusdem provintiae iuxta delegationem meam de caussa Rigensi egit ac deinde apud Archiepiscopum Rigensem[2] coadiutoriae provintiae ibidem Guilhelmi Marchionis, fratris mei charissimi, nomine munus tractare feci, ac eidem subinde quoque, quae Maiestas Vestra Regia in petitionibus meis Cracoviae ablegandi nunctii in Livoniam in eadem caussa et respondit et spopondit, significavimus. Quibus respondisse intelligo Archiepiscopum, quantum ad coadiutorium fratris mei munus attinet, omnia in vado ac portu esse, per suam provintiam proclamare, idque omnium applausu et consensu, Coadiutorem Marchionem Guilhelmum, fratrem meum charissimum, fecisse, omnes eius adventus magno desyderio teneri. Caeterum nunctium Regiae Vestrae Maiestatis in eo negotio in Livoniam applicatum non intellexisse, fore quidem id ex re atque utilitate caussae, si mitteretur.

Quam ob rem unice ac subdite peto, Maiestas Vestra Regia, ut Dominus meus clementissimus, dignetur iuxta meas et preces et scripta

nondum ablegatum in Livoniam nunctium benigne mittere, ne quid per hunc stetisse videatur, ac si quod saltem adhuc ibidem restaret clandestini tumultus, per eandem legationem Maiestatis Vestrae, ut eiusdem archiepiscopatus conservatoris, supprimere[a] ac sedare facere.

Quod autem ad fratrem meum, Guilhelmum Marchionem, attinet, nihil dubitatur, quin quod amica vicinitas atque adeo ipsa aequitas Teutonicique Ordinis foelix successus postulat, ipsum acturum esse, neque legibus ecclesiasticis ipso authore quicquam derogatum iri. Hoc ipsum ego erga Maistatem Vestram Regiam, in cuius tutela et mea meorumque omnia sunt, summis cum fratre meo Guilhelmo Marchione viribus subditaque opera merebor. Bene atque quam diutissime ad Regnorum suorum salutiferam gubernationem valeat Maiestas Vestra Regia, cui me totum commendo. E Regio Monte 5 Iulii 30.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, V Iulii.

a) *in ms.* supprime
1) *Valterus a Plettenberg.*
2) *Thomas Schöning.*

*N. 429.*

*E Regio Monte, 5.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, petit, ut apud regem sedulo efficiat, quo legatio regia in Livoniam in negotio fratris sui Gulielmi sine mora ablegetur.*

*(Schedula adiuncta)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 196.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 560-561.*

Caussam fratris nostri, Guilhelmi Marchionis, in coadiutorio munere Rigensis archiepiscopatus iam tandem optime habituram intelleximus ex capitaneo nostro Sambiensi Schurstedt[z] reverso, quem in Livoniam hanc ob rem a nobis ablegavimus. Conclamatum est ab omnibus eiusdem provintiae uno ore, summo etiam adventionis eius desyderio, fratrem nostrum charissimum, Guilhelmum Marchionem, se expetere atque velle archiepiscopatus Rigensis Coadiutorem. Verum quia ex eodem nostro legato Regiae Maiestatis legationem, ut conventum erat, nondum expeditam esse, neque eo venisse didicimus, quod eam caussam vel praecipue iuvare videretur, de qua re etiam Maiestati[a] Regiae scripsimus, ex cuius litteris haud grave erit Magnificentiae Vestrae intelligere caetera, quam ob rem fraterne ac amice precamur Illustrem Magnificentiam Vestram, ut cui nostrae nostrorumque res semper commendatae esse solent, quo legatio huiusmodi regia, de qua saepe egimus, ne quid ea res morae pariat caussae nunc belle habenti, quam primum ablegetur[b] in Livoniam, apud Maiestatem Regiam pro sua sedulitate fraterne efficiat. Nihil erit unquam vicissim fraterni officii ac sedulitatis tam arduum, quod non Magnificentiae Vestrae Il-

lustris nomine effectum dabimus. Optime atque quam diutissime valeat Magnificentia Vestra Illustris. 5 Iulii 30.

Schedula ad eundem.

Quod Regia Maiestas hanc aestatem Cracoviae consumptura sit, quantum intelligimus ex Illustris Magnificentiae Vestrae scriptis, peroptime placet. Caeterum e Livonia indies expectanda nobis est ab archiepiscopatu legatio, quae et fratri Guilhelmo et nobis expectanda est, cum qua de rerum summa acturi sumus, quo scilicet in Livoniam quam primum migrationem suam excapessat, Deus faxit, ut secundis iis expeditis. Quod ad nos attinet, scriptis Illustris Magnificentiae Vestrae morem sine mora geremus[c]. Iterum atque iterum bene valeat Magnificentia Vestra Illustris. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Schidlovitzky, ut supra.

a) *sequitur expunctum:* Vestrae
b) *in ms.* ablegatur
c) *in ms.* geramus
z) *sic in ms.*

*N. 430.*

*E Regio Monte, 5.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*efflagitat, ut apud regem invigilet, quo regia legatio in negotio Guilielmi marchionis Brandenburgensis in Livoniam quam celerrime ablegetur.*

*Ostpr. Fol., vol. 18, ff. 561-562.*

Scripsimus iam pridem Magnificentiae Vestrae de ablegando nunctio a Regia Maiestate in Livoniam in negocio fratris nostri, Illustris Guilhelmi Marchionis. Verum, ut intelleximus ex capitaneo nostro Sambiensi Schirstedt, ex Livonia legato inde reverso, nondum eam legationem regiam missam esse, ex qua nunc demum tota caussa pendere videtur. Nam caetera omnia belle ac recte se habent. Proclamatus enim est cum ab Archiepiscopo[1], tum provintiae caeteris omnibus, unanimi sententia frater noster, Illustris Guilhelmus Marchio, Coadiutor archiepiscopatus Rigensis, nihilque iam restat, quam ut mittatur legatio regia.

Quam ob rem quia et in ea causa Regiae Maiestati scripsimus, Vestram quoque Magnificentiam exoratam amice cupimus atque precamur, apud Maiestatem Regiam pro veteri sedulitate invigilet, quo quam potest fieri celerrime regia legatio illuc ablegetur[a], quandoquidem in ea tota res sita est. Hoc nos pari studio atque officio erga Magnificentiam Vestram merebimur. Quam cupimus bene atque foelicissime valere. Datum e Regio Monte, 5 Iulii 30.

*In initio epistolae in margine:* Domino Gastoldo, ut supra.

a) *in ms.* ablegatur
1) *Thomas Schöning.*

N. 431.

E Regio Monte, 5.VII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao [Kieżgajło], capitaneo Samogitiae,*
*litteras eius 31.III.1530 in Krože (in ms.* Crotze) *datas, pro quibusdam oppidanis Plotelensibus intercessorias, se accepisse nuntiat et significat se nunc Cleipodiam (Memel) in persona proficisci, ut ergo in similibus casibus illuc directe ad eum appelletur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 558.*

N. 432.

E Regio Monte, 6.VII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de commissariis regiis ex Masovia conqueritur, qui ad statutam conventionem cum commissariis suis, in qua de tollendis finium ac limitum inter Masoviam et Ducatum Prussiae erroribus tractare debebant, se non steterunt; intercedit pro Theodorico a Schlieben, causam cum Masovitis habente.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 565-567.*

Post debita servitii mei obsequia.

Serenissime atque clementissime Rex.

Semper fui atque adhuc sum hac preditus sententia, voluntate ac animo, ut Serenitatis Vestrae Regiae mandata atque commissa pro virili exequerer. Itaque quum nuper in meo discessu pariter subscriptum erat, quo utriusque commissarii ac legati ad solemnia, ni fallor, divi Ioannis Baptistae praeteriti pro tollendis finium ac limitum inter Mazoviam et meam ditionem erroribus in tranquillitatem ac usum utriusque subditorum congrederentur ac mitterentur, ego vero ne viderer usquam regiae voluntati deesse, delegi ac subordinavi qui sunt mihi primi a consiliis, misique demum eos ad praescriptum et locum et tempus, sperans huiusmodi tandem multis modis cum meis, tum Regiae Vestrae Maiestatis subditis, damnabilem et exitiosum limitum istorum errorem ac controversiam tolli finirique posse. Verum nostri diu expectando, perbelle Mazoviensium a Regia Vestra Maiestate constitutorum commissariorum adventu circumducti ac delusi sunt. Neque moleste esset ferendum, si saltem rescripsissent ac revocassent conventionem, sed cum in nostrorum commissariorum, tum in meae personae nonnullam contumeliam, velut ad se res nihil attineret, expectantes circumduxerunt. Porro si usu venerit, quod tamen non speramus neque libenter volumus, quo mei praefecti in tutelam meorum occasionem Regiae Vestrae Maiestatis subditis conquerendi darent, sciant Mazovienses non meorum, sed ipsorum culpa fieri. Verum quidem hoc scio, hanc invisendi limites neglectionem meis subditis non parvam incommoditatem atque exitiabile damnum adferre; quae ne aliis inventis atque necessitate aliqua coacta propulsanda sit, quam subdite precor Regiam Vestram Serenitatem, quo quam primum inspici faciat,

ne quid horum opus sit, quandoquidem ego non tam meorum, quam Vestrae Maiestatis subditorum saluti quam optime cupiam.

Caeterum supplicavit nobis Dominus Didericus de Schliben, eques auratus, fidelis noster dilectus, uti indicat his imposita eius supplicatio, quo in sua caussa, quam ille cum Mazoviensibus habet, apud Regiam Vestram Maiestatem intercederem. Et quia antea commissionem Vestra Maiestas in eadem caussa fecit, quae ab ipsis Mazoviensibus negligi conqueritur, queso iterum, Maiestas Vestra dignetur clementer inspicere, quo tantus illi dicto Schlibenn equiti sumptus, quem fecit, expendatur atque ut has sibi commodo fuisse intercessiones nostras intelligat. Quod ipsum ego omnibus debitis officiis ac servicio erga Maiestatem Vestram promerebor sedulo. Quam optime atque integerrime valere exopto. Datae e Regio Monte, ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, ut supra.

*N. 433.*

*E Regio Monte, 6.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, conqueritur de commissariis regiis, ad inspiciendos et corrigendos fines inter Masoviam et Ducatum Prussiae designatis, qui ad conventionem cum commissariis suis, nulla prius facta praemonitione, se non steterunt; commendat causam Theodorici a Schlieben.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 563-565.*

Misimus legationes ac commissarios nostros ad fines ac limites Mazoviae, quemadmodum in nostro discessu Cracoviae a Regia Maiestate commissum erat, tempus locumque servavimus, ut ne sumus quidem negligentes, uti decet in commissis regiis exequendis. Sed dum nos studemus per omnia obsequi, mirum est, quam egregie deludimur. Nam commissarios nostros, quos, uti praescriptum erat a Regia Maiestate, misimus ad invisendos inspiciendosque limites inter Mazoviam et nostram dicionem erroneos[a] ambiguosque, regii commissarii Mazovienses absentia sua[b] non in minimam nostri ignominiam deluserunt, neque[c] litteras, neque responsa, neque renunctiationem se vel non venturos vel iustis de caussis non posse venire, expectantibus nostris dantes, forte dignos et nos et nostros, quos sic naso suspendant, putant. Amicam certe vicinitatem servare semper parati sumus, at vero quum haec commissariorum Regiae Maiestatis absentia atque neglectio in nostrorum subditorum huiusmodi damnum vergat, ne ipsa[d] necessitas aliud quiddam invita facere cogatur in propulsanda nostrorum subditorum iniuria, fraterne petimus Illustrem Magnificentiam Vestram, apud Regiam Maiestatem instet, ne diutinus sit hic finium error et ne idoneos nos porro existiment, quos sic circumducant.

Porro intercessimus nostris litteris apud Regiam Maiestatem pro dilecto nostro fideli, Domino Diderico de Schlieben, in caussa sua, quam habet cum Mazoviensibus. Ea quamquam[e] prius ob commissionem regiam satis nota esse[f] possit, tamen ex ipsius Diderici ad nos scripta

supplicatione, quam regiis litteris inclusimus, satis liquebit. Precamur igitur, ut et in eo negocio Vestra Illustris Magnificentia apud Regiam Maiestatem suam operam interponat et[g] iustam dicti Diderici[h] caussam iuvet. Quod ipsum vicissim fraternum ac sedulum nostrum studium obsequiumque erga Illustrem Magnificentiam Vestram pensabit. Quam exoptamus, Christus diu fortunet atque optime valere faciat. Datae e Regio Monte, ut supra, 30.

*In initio epistolae in margine:* Christophoro Schidlovitzky, ut supra.

a) *in ms.* errones
b) *in ms.* absentiam suam; suam *supra lineam.*
c) *sequitur expunctum:* litteras
d) *in ms.* ipsas
e) *sequitur expunctum:* prius
f) *correctum ex:* esset
g) *verbum correctum.*
h) *in ms.* Didorici; *in margine:* Theoderici

*N. 434.*

*E Regio Monte, 6.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, conqueritur de quodam Samogita, qui subditos suos in confiniis cum Samogitia incolentes variis modis vexat et molestat, rogatque, ut apud regem et reginam efficiat, quo eiusmodi hominem et alios a similibus conatibus coerceant.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 567-568.*

Obseratis his indicavit nobis suis litteris praefectus noster Tilsitensis esse Dominum aliquem[a] Samogithensem, cuius temerarii conatus hominibus, fines ac limites inter Prussiam et Samogithiam incolentibus, census annuos et imponere et postulare nil veritus[z]. Quae res nonnihil nos perturbat. Neque deest, qua factum temerarium caussa defendere nititur. Nimirum se hoc cum voluntate, tum iussu Serenissimae Reginae[1] Poloniae, clementissimae nostrae Dominae atque consanguineae nostrae, facere. Quod cum admiramur vehementer, tum nequaquam speramus nec credimus. Quandoquidem enim in nostra communi ac perpetua non ita pridem renovata pace atque contractibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et nostrum Ducatum Prussiae a Regia Maiestate, clementissimo nostro Domino, et omnibus ordinibus Magni Ducatus Lithuaniae et a nobis unanimiter conclamatum sit atque subscriptum, omnem istum finium ac limitum errorem, quoad inspicerentur ac viserentur per utrosque, quasi mortuum ac sedatum esse debere, precamur igitur fraterne, Illustris Magnificentia Vestra, huiusmodi errorem, qui nos nostrosque male habet, commode Maiestati Regiae Reginaeque, clementissimis nostris Dominis, indicare velit atque nostro nomine apud eas precibus sollicitare, quo clementer[b] efficiatur, ne in nostris finibus temere quid per huiusmodi Samogithensem aut alios praesumatur, sed ut erecta, probata acceptaque[c] erroris finium cessatio in inspiciendi eosdem tempus usque servetur et ne quid interim novarum constitutionum temere erigatur. Qua in re neque nos peccaturos, nec a Regiis Maiestatibus, clementissimis nostris Dominis,

speramus. Hoc nos erga Illustrem Magnificentiam Vestram fraterno obsequio sedulo merebimur. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Schidlovitz, ut supra.

a) *in ms.* aliqem
b) *verbum correctum.*
c) *correctum ex:* erectam, probatam acceptamque
z) *sic in ms.*
1) *Bona*

*N. 435.*

*E Regio Monte, 6.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Vilnensi [Ioanni e ducibus Lithuaniae]*
*rogat, ut apud regem satagat, quo legatio regia in Livoniam in negotio fratris sui Gulielmi marchionis quam primum expediatur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 562-563.*

Amica nostra obsequia et quidquid boni possumus, Reverende in Christo Pater ac Amice nobis syncere dilecte.

Non[a] existimamus latere Reverendam Vestram Paternitatem, Regiam Maiestatem, clementissimum nostrum Dominum, legationem quandam in Livoniam in negocio coadiutorio fratris nostri, Illustris Marchionis Guilhelmi, ablegandam destinasse. Verum, ut intelleximus ex capitaneo nostro Sambiensi[1], quem nunctium in Livoniam ad Magistrum[2] et Archiepiscopum[3] emisimus, regiam legationem nondum eo venisse, in qua summa rerum tota negocii sita videtur. Caeterum cum Archiepiscopus, tum eius provintiae seniores, uno ore Marchionem Guilhelmum, fratrem nostrum charissimum, Coadiutorem proclamavere atque elegere, adeoque nihil porro restare, quam ut quam primum regia legatio, ut conventum est, mittatur.

Quam ob rem, ne quid in ea re impedimenti sit, amice precamur, Reverenda Vestra Paternitas, quo a Regia Maiestate huiusmodi in Livoniam legatio quam primum expediatur, iuvet ac invigilet pro nostra communi necessitudine. Nihil diffidat Reverenda Vestra Paternitas, quin omnibus officiis studiisque vicissim erga eandem sedulo ac amice una cum nostro Guilhelmo Marchione promerebimur. Bene ac foelicissime valeat Reverenda Vestra Paternitas, quam Christus diu conser vet[b] ad nominis sui gloriam. Datum e Regio Monte, 6 Iulii anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Episcopo Vuilnensi, VI Iulii.

a) *sequitur expunctum:* dubitamus
b) *in ms.* conservat
1) *Meineke a Schierstedt.*
2) *Valterus a Plettenberg.*
3) *Thomas Schöning, archiep. Rigensis.*

*N. 436.*

*E Regio Monte, 6.VII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi, secretario regio,*
*rogat, ut apud regem instet, quo legatio in Livoniam in negotio marchionis Gulielmi quam primum mittatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 563.*

*N. 437.*

*Cleipodiae, 3.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*digitabula sibi missa se accepisse et impensam pro eis pecuniam ei reddere velle significat; Antonii Fugger excusationem de nondum persoluta pecunia se accipere nuntiat; grato se animo accepisse nuntium de bono exitu intercessionis suae pro Carolo Kuczer* (Cutscher).

*(Schedula: quattuor sobellos* (vier zobell) *sacculo insutos, sibi per Stephanum Klinčić* (Klintschitz), *regis Hungariae et Bohemiae oratorem, missos, dono mittit).*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 59v-60.*

*N. 438.*

*E Regio Monte, 5.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Friderico Schmaltz*
*pro epistolis Georgii Klingenbeck* (Clingenbeck) *sibi missis gratias agit et rogat, ut responsum suum eidem Klingenbeck pervenire faciat; rogat etiam, ut epistolas suas doctori Croto Lipsiam mittat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 60v-61.*

*N. 439.*

*E Regio Monte, 10.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*explicat rationes, propter quas homo quidam, subditus capitanei Georgenburgensis (Jurborgensis), unus ex « expilatoribus colonorum » praefecturae Coadiutensis, a capitaneo suo Tilsitensi captus et detentus erat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 569-571.*

Si qua sunt obsequia, quae subditus Princeps Regi suo iure debet, ea omnia offero Regiae Vestrae Maiestati, ut Domino meo clementissimo, quem sanum atque salvum esse cupio.

Serenissime atque clementissime Rex.

Litteras Serenissimae Maiestatis Vestrae in controversia Coadiutensis praefecturae proximas accepi. Quae ut in me spirant clementem Maiestatis Vestrae ac vere paternum animum, ita istam moram cognoscendorum contractuum inter Lithuaniam et Prussiam, ad quos caussam meam retuli, quam subdite ac pacienter fero. Verum quod tantopere meis litteris apud Maiestatem Vestram Regiam fortasse aliquando importune in ea controversia sollicitarim, ad eam rem me compulit miserabilis colonorum Coadiutensium conditio, qui intollerabilibus gravaminibus et exactionibus[a] vexabantur. Et quia antea Serenissimae Vestrae Maiestati scripsi deprehensos huiusmodi expilatores colonorum a capitaneo nostro Tilsittensi missurum me Regiae Vestrae Maiestati plectendos.

Evenit non ita pridem, ut quidam istorum, weywodam scilicet Coadiutensis praefecturae se iactans, a praefecto nostro Tilsittensi captus sit, servus, ut accepimus, Stanislai Sczetzkovitz[1], praefecti Maiestatis Vestrae Georgenburgensis, homo multis modis Coadiutensibus iniurius ac pernitiosus, ut qui non contentus diris exactionibus ac rapinis, quas in eos satis temere exercuerat, verum non puduit miserum ac famelicum hominem sibi Coadiutensem iurisdictionem, ut Palatino sive weywodae, adscribere. Is aliquandiu a capitaneo nostro retentus. Tandem dictus noster praefectus accepit litteras a Maiestatis Vestrae capitaneo Georgenburgensi[b], exigente rationem capti sui servi, minitante subinde huiusmodi vim ac iniuriam Regiae Vestrae Reginalique[2] Maiestatibus significaturum se, quam posset, celerrime. Cui pro tempore ac facti aequitate praefectus noster respondit ac datis ad capitaneum Regiae Vestrae Maiestatis literis, cur hominem deprehenderit, rationes attulit. Quarum literarum exemplar[*] in praesentia Maiestati Vestrae Regiae mitto. Dimissus autem erat a nobis dictus servus, antequam proximas a Maiestate Vestra Regia literas accepimus.

Quam ob rem, clementissime Rex, statui primum istis literis praesentibus capitanei mei indicare Serenissimae Maiestati Vestrae, quam in istis limitibus res satis perverse gerantur, atque deinde, si quid praeter veritatem adferrent ac calumniarentur, apud Maiestatem Vestram me excusatum esse volui. Christus mihi tam sit propitius, quam ego semper et ubique Maiestatis Vestrae subditorum salutem et successum cupiam, nedum eos persequar malis technis. Quod si nunquam mihi ista Coadiutensis praefectura in limitum cognoscendorum iusta censura cedat (quod tamen non spero), equidem hoc animo fui semper et sum, ut me non tam meorum, quam Regiae Vestrae Maiestatis subditorum iniuria atque expilatio male habeat. Neque dubito, quin Regiae Vestrae Clementiae eadem sit mens atque benigna inclinatio erga meos. Precor autem Regiam Vestram Maiestatem, ut clementissimum meum Dominum, ut clementer inspiciat, ne quid turbae in istis limitibus oriatur atque ne qua nostrorum innocentiae excusatione apud Maiestatem Vestram potior sit improborum calumnia. Hoc ego subditorum officiorum meorum indefessa opera sedulo promerebor. Bene

valeat Maiestas Vestra Regia, cui me unice commendo. Datae e Regio Monte quarto Idus Augusti anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, 4 Idus Augusti.

a) *sequitur expunctum:* gravabantur
b) *correctum ex:* Georgenburgensis
1) *Stanislaus Szczepanowicz (vel Stefanowicz).*
2) *Bona.*
*) *cfr. numeram 453.*

*N. 440.*

*E Regio Monte, 10.VIII.1530.*

*Dorothea dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, eum, uxorem et liberos eius salutat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 568.*

*N. 441.*

*E Regio Monte, 10.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de tardiore ad litteras responso se excusat; pro officio apud regem in negotio Caroli Kuczer praestito gratias agit; aliqua nova, partim ex Germania, partim aliunde, transmittit; refert de homine quodam, capitanei Georgenburgensis subdito, a capitaneo suo Tilsitensi capto et iam liberato.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 571-573.*

Omnia fausta foeliciaque tum corporis, tum animi, in seram usque aetatem precamur Illustri Magnificentiae Vestrae, ut fratri omnium charissimo.

Illustris ac Magnifice Frater nobis charissime.

Quod serius, quam oportuit, Illustris Magnificentiae Vestrae literis, XIX die Iunii datis Cracoviae, respondimus, in caussa fuit, quod eas apud arcem nostram Memel, ubi eo tempore agebamus negociis nostris occupati, acceperamus; quae in primis gratulationem nostram filiae grandioris natu Sophiae in matrimonium Magnifico Comiti a Tharwaw[z] collocatae pie praedicant ac subinde sanctam illam concordiam ex hoc affinitatis vinculo sequutam, cuius apud se Illustris Magnificentia Vestra[a] precipuam rationem, ut rerum meliorum nutricis[b], commemorat, semper maximi faciunt. Collaudamus exosculandum ac pium Illustris Magnificentiae Vestrae animum, qui plus rebus concordiae[c] sanctaeque paci quam sibi suorumque successibus secundis gratuletur

ac tribuat. Christus faxit, ut ista concordia in longam nepotum posteritatem perpetue atque foeliciter duret.

Pro officio Illustris Magnificentiae Vestrae, quod apud Regiam Maiestatem in negocio Caroli Cutzer sedula opera praestiterit, agimus ingentes gratias. Quod cum Carolus ipse, tum nos, omnibus studiis officiisque referemus.

Novarum rerum quantum apud nos est, quas partim ex Germania, partim aliunde et latine et germanice scriptas accepimus, Illustri Magnificentiae Vestrae transmittimus, non quod ignoremus istorum omnium veriorem apud Illustrem Magnificentiam Vestram rationem ac copiam maiorem esse, sed existimamus tum nos maxime fraterno obsequio satis fecisse, quum omnia, quae apud nos sunt, Illustrem Magnificentiam Vestram non lateant. Boni igitur ista, qualiacunque sunt, pro fraterno candore consulat. Ubi maiora ac veriora[d] nacti, nihil reticebitur.

Porro non latet Illustrem Magnificentiam Vestram negocium Coadiutensis praefecturae, quod equidem pluribus ac forte molestioribus literis et Regiam Maiestatem et Illustrem Vestram Magnificentiam, quam par fuit, obtundere compulit. Sed excusabit nos rei ac miserrimorum colonorum indignitas, qui miris modis expilabantur. Qua in re tandem Regiae ac[e] Reginalis[1] Maiestatum literas benignas quidem eas, ad quas se Magnificentia Vestra Illustris referebat, accepimus, quae quoque se ad contractus inter Lithuaniam et Prussiam factos referunt, quod ipsum nos expetivimus. At vero quum indigne et intollerabilibus exactionibus Coadiutenses affligerentur per quosdam, quod dudum conquesti sumus, deprehendit tandem capitaneus Tilsittensis temerarium quendam hominem, weywodam Coadiutensis praefecturae se praedicantem, sine ullis et Regiae Reginalisque Maiestatum indicibus literis. Tandem scriptis literis postulavit Stanislaus Schetzkovitz[2], capitaneus Georgenburgensis, Regiae Maiestatis subditus, a nostro Tilsittensi capitaneo iustam impeditionis huiusmodi hominis (quem a ministeriis suis aiebat) rationem, minitans interim se quam expeditissimo nunctio istam iniuriam Regiae Reginalique Maiestatibus significaturum etc. Quibus capitaneus noster additis rationibus respondit. Quarum literarum exemplar Regiae Maiestati inclusimus ac misimus, ut ex iis, si quid forte praeter vera deferrent, Maiestas eius, aequum quod esset, cognosceret. Qua in re si (quibus solet commentum veritate potius priusque haberi) aliquid calumniati essent, apud Regiam Maiestatem, ut recti iudicem, Illustris Magnificentia Vestra patronum sedulum se exhibeat, precamur. Nulla vis, nulla homini protervo iniuria facta est, mox liber, ubi eo venimus, a nobis dimissus est, graviora meritus. Quam ob rem facilius huiusmodi nebulas, si quae sunt, pro singulari sua prudentia fugare potest Illustris Magnificentia Vestra atque efficere tandem, ne porro istis opus sit controversiis. Christus diu conservet[f] salvam sanamque Illustrem Magnificentiam Vestram cum Illustri coniuge[3] atque suavissimis liberis. Datum e Regio Monte, ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Domino Schidlovitzky, ut supra.

a) *in ms.* Magnificentiae Vestrae
b) *correctum ex*: nutrices
c) *in ms.* corcordis
d) *sequitur expunctum*: ac maiora
e) *sequitur expunctum*: Maiestatis
f) *in ms.* conservat
z) *sic in ms.*

1) *Bona.*
2) *Szczepanowicz (vel Stefanowicz).*
3) *Dorothea.*

N. 442.

E Regio Monte, 10.VIII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi [Petro Tomicki]*
*salutem dicit et officia defert.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 573-574.*

N. 443.

E Regio Monte, 10.VIII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*R.P. thesaurario [Nicolao Szydłowiecki]*
*pro obsequiis gratias agit; salutem et omnia fausta precatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 574-575.*

N. 444.

E Regio Monte, 10.VIII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*salutem dicit ac omnia fortunata et felicia ei precatur; negotium Coadiutense regi commendari petit; se regi et reginae commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 575.*

N. 445.

E Regio Monte, 10.VIII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Zachariae Italicio (Włoszek), Christophori Szydłowiecki secretario,*
*pro missis novis gratias agit et in posterum novitates sibi communicari petit; nova sibi ex Germania significata Christophoro Szydłowiecki se transmisisse nuntiat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 576.*

N. 446.

E Regio Monte, 12.VIII.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*litteras regi destinatas, a Ioanne Dantisco ex Augusta acceptas, transmittit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 576.*

## N. 447.

*E Regio Monte, 12.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*nova a consiliario suo Georgio Klingenbeck ex Germania accepta mittit; rogat, ut prospiciat, quo rex oratori suo, episcopo Culmensi [Ioanni Dantisco], Augustam scribat et se fratresque suos marchiones Brandenburgenses ei commendet.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 577.*

## N. 448.

*E Regio Monte, 18.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*cuidam «generoso»*
*annuum salarium se ei soluturum esse significat, habita tamen solutae pecuniae quietatione.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 577-578.*

## N. 449.

*E Regio Monte, 20.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de Gedanensibus queritur, qui prohibitos nummos cudunt eosque late spargunt, non parvo Regni Poloniae et Ducatus Prussiae damno et detrimento.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 578-579.*

De re monetaria.

Si qui sunt ex Regiae Maiestatis subditis, quorum perversa temeritate Reipublicae commodum deludatur vexeturque, nullos in ea techna magis viros atque Danciscanos quis facile reperiat? Etenim quales se pridem in re monetaria exhibuerunt, cum nostra, tum subditorum nostrorum (quos sordida faeneratione pene exugerunt) accepta rerum clades satis argumento esse queat. Neque iterum nunc alia ipsorum questui nefario temeraria ratio deest in cudendis nummulis. Non, si bene meminimus, dum eramus Cracoviae, aegre Danciscanis permissum est, ut denariolorum numerum, quantum intra ipsorum muros atque moenia sufficeret, excuderent, atque tum conventione cautum est, ne ultra hoc ipsum quicquam tentarent temere, aut latius spargerent apud se excusos nummulos. Iam vero, ut accipimus, non solum undique suis denariolis, quos excudunt, omnia replent, verum etiam, quod conventioni, edicto regio diversum est[a], asses vel, ut vocant, solidos excudere conantur atque longe lateque spargunt, idque irrecuperabili quidem et Regni Poloniae inclyti atque nostri Ducatus exitio. Cui fo-

menta nunquam non subiicere ipsos paratos esse in confesso est. Nam ea ratione efficiunt, ut argentum atque aurum ad sese, cuprum vero ad Regnum Poloniae nostramque ditionem remaneat. Et ni cautum fuerit in tempore, ut ab hac temeritate cudendi lateque spargendi suos nummulos desistant, cogimur nos magno nostro damno a cudendo novos denarios ac solidos desistere, atque id quoque Thorni futurum.

Quae omnia copiosius Illustris Magnificentia Vestra ex Domini Iusti Ludovici fratre[1] accipiet. Nos vero, quo huic malo citius medeatur, fraterne precamur Illustrem Magnificentiam Vestram, quo summo studio hoc ipsum Regiae Maiestati indicet, ac severius Danciscanis mandetur, ut ab hoc cudendi conatu temerario desistant, ni maluerit Regia Sublimitas eos multorum et Regni Poloniae subditorum suorum et nostrae ditionis omnium exitio ditescere. Hoc nos omni studio erga Illustrem Magnificentiam Vestram aequabimus. Datum e Regio Monte, ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ad Christofferum Schidlovitz, 20 Augusti.

a) *supra lineam.*
1) *Iacobus Decius*

*N. 450.*

*E Regio Monte, 20.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro uxore et liberis regii secretarii Iusti* [*Decii*], *qui utrique eorum diligenter inservit, intercedit, nam* « quidam ex nobilitate domi [*eis*] nimium sint iniurii ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 579-580.*

*N. 451.*

*E Regio Monte, 26.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*pro Christophoro puero, subditi sui Ioannis Rippen filio, linguae polonae optimae gnaro, intercedit, ut inter servitores regis iunioris recipi possit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 61-61v.*

Ann Nickel Nibschitz denn 26 Augusti.

Unsern grus zuvorn.

Erbar, lieber radt und getreuer.

Wir geben dir zu erkennen, das wir ungeverlich vor zweien jaren dem erwirdigen in Got vatern, unserm besundern lieben freundhe, hern Niclaen[1] bischof zun Kyof etc., als ire l. die zeit von ko.mt. zu Polann wegen aus Littawenn in botschaft bey uns gewesen, einen knaben, unsers underthanen Hansen Rippen sohn, Cristof genant, gegeben und

mit besundern betlichen bevelich zugestellet, wie inen auch s.l. gutwillig mit zusagung, denselben von unsertwegen in besunderm gnedigen bevelich zu haben, angenohmen etc. Als habe s.l. etzliche zeit ehrnach gnanten knaben dem jungen konige gegeben und auch mit vleissiger, demuttiger bitte forder zugestellet, wie inen denne auch ire mt. mit gnaden sal angenohmen und darnach einem ko.mt. cemmerer, domit ehr die polnische sprache fertig lerne, undergeben sein, mit gnediger erbittung, wen der knabe der polnischen sprach wol kundig, das inen ire mt. widderumb zu sich in iren dinst nehmen woldhe etc. Als werden wir bericht, das derselbie[z] knabe nuhmals die polnische sprach gelernet, das er sich zur notturft wol bereden und des orts bey ko. cemmerer nicht forder bessern khan etc., und dweil denn derselbie ko. cemmerer ane zweifel, wie zu gedencken, seiner geschefte halben uff den knaben zu sehen vorhindert, und damit der knabe widderumb bey den jungen konig an ko. dinst khommen moghe, ist an dich unser beger, du wollest durch mittel des erleuchten und grossmechtigen unsers lieben bruders und freunden, hern Cristoff von Schidlowitz, ader wie du solchs am schicklichsten erkennest, dich bearbeiten, uf das gnanter knabe, Cristoff Rippe, von dem ko. cemmerer widder in des jungen konigs dinst genohmen wordhe und dir auch solchen knaben umb unsertwillen lassen bevolen sein. Doran thustu uns zu gefallen und wir wollen es umb dich in gnaden beschulden. Datum Konigspergk ut supra.

z) *sic in ms.*
1) *Nicolaus Wieżgajło.*

*N. 452.*

*E Regio Monte, 27.VIII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*« reverendo in Christo patri » et « magnifico generosoque »*
*transmissos sibi a rege duos codicillos in controversia Theodorici a Schlieben cum Paulo Brzeski, capitaneo Ciechanoviensi, mittit: alter eorum ad ipsos, prout in ea causa regios commissarios institutos, alter ad eos,* « quibus cum dicto Theodorico res est », *spectat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 580.*

*N. 453.*

*s.l., s.d.* [*VIII.1530*].

*Officialis Alberti in Prussia ducis* [*capitaneus Tilsensis*]
*capitaneo Coadiutensi* [*Stanislao Szczepanowicz*]
*adducit rationes, ob quas subditum quendam suum, nomine Ioannem, in vincula coniecit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 612-614.*

Intellexi ex literis vestris notificatum vobis Ioannem, ministrum vestrum, a me esse in vincula coniectum, et nisi eius facti iustas vobis assignem caussas, in votis habere Regiae atque Reginali Maiestatibus ea de re, misso ad hoc peculiari nunctio, propediem supplicare, prae-

sertim quia vos, Reginalis Maiestatis vasallus, ista pro vestro iure atque debito ageretis. Ego vero nihil dubito nondum vobis excidisse, iam aliquandiu petiisse me inter nos ambos[a] conventum atque colloquium, istis maxime rationibus, quia ego, ut praefectus Illustrissimi ac Illustrissimae meorum Principum, vehementer suspicer non habere vos usurpationis eius pagi sive irruptionis et invasionis regium mandatum, sed universa haec vos proprio ac temerario ausu atque adeo violentia moliri. Neque aliud novit utriusque Principum meorum Celsitudo, cum et ipse Illustrissimus meus Princeps neminem[b] praeter Regiam Maiestatem iure feudi Dominum agnoscat. Qua ratione ministro vestro indicatum atque indictum est, ut ab eiusmodi onestiis et oneribus, quibus miseram paupertatem praessit, abstineret. Porro nullum responsum a vobis impetrare hactenus potui.

Praeterea minister vester se Palatinum Coadiutensem arroganter mentitus est. Proinde quia et naturali ratione receptum et civili iure cautum est, ut cuilibet nostrum liceat vim vi propulsare, ut nemo cogatur permittere, ut e sua possessione vi deiiciatur, feci quod potui, imo quod debui, conieci hominem in vincula, nimirum ut Illustrissimi mei Principis ius atque possessionem tuerer, convenique eius Celsitudinem atque rem[c] gestam ordine exposui. A qua mihi demandatum est, primum ut vobis scriberem, ne posthac talia tentetis, deinde ut hominem liberarem a vinculis, ea tamen conditione, ut se ab eiusmodi ausu temerario atque falso titulo abstineat. Nam si Regia Maiestas aliquid iuris eo nomine se habere praesumet, non dubium est, quin Regia Maiestas atque Illustrissimi Principis mei Celsitudo sine nostro vel consilio vel auxilio inter se non magno negocio neque gravatim hanc rem sint composituri.

Quae cum ita se habeant, denuo vobis Illustrissimi mei Principis nomine significo, meo autem nomine rogo, ne mihi, qui ei provintiae, quam non ignoratis, nomine eius Celsitudinis praesum, temere negocium faciatis, ne forte cogar contra meam voluntatem vestris iniquis conatibus resistere atque propulsare temeritatem. Verumtamen si eiusmodi mandatum, quod eius pagi atque eorum bonorum per vos usurpationem contineat, mihi commonstrabitis, nihil morabor, quin Illustrissimo meo Principi eam rem significem. Cuius Celsitudo sine controversia non ignorabit, quid et quantum hac in re pro innata sua modestia Regiae Maiestati supplex debeat.

a) *sequitur expunctum:* ambos
b) *in ms.* neminen
c) *supra lineam.*

*N. 454.*

*E Regio Monte, 12.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*gratias agit, quod eum legato suo Augustam misso* [*Ioanni Dantisco*] *commendavit, iterumque negotium suum commendat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 586.*

Serenissime atque Potentissime Rex, Domine clementissime.

Quidquid nostra imbecillitate pro debito officio Regiae Maiestati Serenissimae praestari potest, id totum[a] supplices offerimus eidem-

que maximas gratias agimus, propterea quod non sit dedignata tam paterne atque diligenter nos Reverendissimo Domino Colmensi Episcopo[1], Regiae Vestrae Maiestatis legato Augustae Vindelicorum, commendare, denuo rogans, ut in hoc tam periculoso omnium rerum statu non cesset pro innata sua pietate id, quod diligenter [coeperat], facere quoque sedulo, ut, quod maxime speramus Deo Optimo Maximo bene prosperante atque Regia Vestra Maiestate adiuvante, inimicorum nostrorum rethia effugere queamus. Praesertim vero, quod hoc negocium Regiam quoque Maiestatem iuxta pertingat. Utque tandem cum regio propheta canamus: Laqueus contritus est et nos liberati sumus, proinde adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram.

Scripsimus hac de re Illustri ac Magnifico Domino Christofero a Schidlovitz etc., fratri nostro dilectissimo, ne Regiae Vestrae Maiestati essemus[b] molestiores. Nos et consors nostra charissima[2] Regiae Vestrae Maiestati una cum consorte charissima[3] atque filio Rege, parentibus et Dominis nostris clementissimis, precamur salutem, pacem et omne bonum supplices atque reverenter. Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, XII Septembris.

a) *sequitur expunctum:* id totum
b) *verbum correctum.*
1) *Ioannes Dantiscus.*
2) *Dorothea.*
3) *Bona.*

*N. 455.*

*E Regio Monte, 12.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, proponit, ut rex «publicam aliquam protestationem» de iure feudi concedendi, potius Regno Poloniae quam Imperio Romano spectante, faciat, priusquam dissolvantur Comitia Augustana; rogat, ut legatus regius Augustam missus [Ioannes Dantiscus] confirmationem privilegiorum ab imperatore Maximiliano I concessorum a Carolo V impetrare studeat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 582-584.*

Salutem et si quid grati officii a nobis praestari potest.

Illustris ac Magnifice Frater, nobis multis nominibus dilecte.

Gratum est nobis ultra modum Illustris Magnificentiae Vestrae officium in transmittendis tam[a] diligenter iis, quae Augustae Vindelicorum tractata sunt, tametsi tractatio ipsa nobis non fuerit admodum grata. Id tamen, quod Sylvecclesiensi expensum ferimus, qui accepta pecunia nihil non molitur, contentus forte ut fabulam agat, non etiam ut peragat. Verumtamen quia sic cecidit alea, boni erit consulendum, quidquid audent inimici, atque Deo Optimo Maximo vindicta atque sollicitudo committenda, adeo tamen, ut nos quoque homines, quantum hac nostra imbecillitate fieri potest, interim non dormite-

mus, sed si quid negocium desyderare videbitur, adhibeamus atque praestemus sedulo. Proinde quaeso Illustrem Vestram Magnificentiam, ut quod pro solita fraterna dilectione hactenus egit diligenter, deinceps agat sedulo atque prospitiat, numquid hac in re Regiae Maiestati necessaria sit publica aliqua protestatio, qua singnificetur eam feudi qualem qualem concessionem ab antiqua origine atque adeo iure ipso spectare potius ad Regnum Poloniae, quam ad Germanorum Imperium, eamque faciat prius, quam dissolvantur haec Comitia, coram Caesare[1] insinuari. Quandoquidem nedum nos, sed et Regiam Maiestatem id, quod temere actum est, pertingit. Nam: tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Quod ad nos adtinet, perinde mihi videtur haec investitura facta esse, ac fit quorundam episcoporum consecratio, quos veri episcopi solent habere a pontificalibus, qui episcopatuum nihil possident praeter inanes quosdam titulos. Praeterea quia fidelis noster Georgius a Clingenbeck abest a Comitiis Augustensibus, id quod ex transmissis literis didici, quaesumus Illustrem Magnificentiam Vestram, ut non dedignetur apud Regiam Maiestatem curare, ut nomine Regiae Maiestatis Reverendissimo Domino Episcopo Varmiensi[2], praecipuo nostro amico, eiusdem legato Augustam Vindelicorum, fideliter scribatur, si ulla ratione, nimirum amicorum adiutus opera, fieri possit, ut a Caesarea Maiestate privilegiorum, quae a sanctae memoriae Divo Maximiliano Caesare[b] Viennae Pannoniorum Regiae Maiestati Poloniae rescripta sunt, fiat per rescriptum confirmatio, videlicet ne istiusmodi investitura sit Regiae Maiestati futura fraudi, quam quod nostras res, ut feudatarii Regni Poloniae atque nepotis regii, pari opera non permittat in hunc modum labefactari, eam praesertim ob caussam, quod Regia Maiestas Poloniae pro officio nonnihil benefitiorum in Domum Austriae contulit atque Caesareae Maiestatis, iuxta et Regis Ferdinandi, dignitatem et utilitatem, quantum fieri[c] potuit, iuvit. Id, quod impetrari per Suam Reverendissimam Paternitatem a Caesarea Maiestate non diffido.

Porro si quid erit, quod ad Illustris Magnificentiae Vestrae dignitatem augendam atque amplificandam faciat, nos dabimus operam, ut vicissim diligenter atque sedulo praestemus. Gratulamur etiam Fraternae Vestrae Dilectioni publicum munus, quod Illustri Vestrae Magnificentiae a Regia Maiestate de concordandis duobus Europae monarchys[z] in Posnaniano conventu iniungitur. Faxit Omnipotens Pater, qui in coelis est, ut vestra atque reliquorum bonorum opera tandem habeamus in Orbe Christiano pacem. Nos et consors nostra charissima[3] precamur Illustri Magnificentiae Vestrae eiusque consorti charissimae[4], fratri nostro et sorori nostrae dilectissimis, cum dulcissimis pignoribus, nobis non minus dilectis, salutem, gaudium, pacem et omne bonum. Datae e Monte Regio, XII Septembris anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Dominum Christophorum Schidlowitz, XII Septembris.

a) *sequitur expunctum:* fideliter iis
b) *in ms.* Caesarae
c) *in ms.* fierit
z) *sic in ms.*

1) *Carolus V.*
2) *error pro:* Culmensis (*Dantiscus*)
3) *Dorothea.*
4) *Sophia de Targowisko.*

*N. 456.*

*E Regio Monte, 12.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*rogat, ne vituperonibus se infamantibus credat, et asserit se non libros Lutheri polonico idiomate typis imprimi iussisse, sed catechismum ad usum* « rudis et illiteratae plebeculae » *in ea Ducatus sui parte, quae polonico idiomate utitur, in lucem edere.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 584-586.*

Salutem.

Reverende atque nobis imprimis dilecte.

Agimus Dignitati Vestrae gratias, et quantum fieri potest magnas, quod tam synceriter gratulamini nobis nostrorum profectum. Utinam nobis liceat vobis vicissim de magna aliqua dignitate propediem gratulari, praesertim autem eo nomine, quod Vestra Dignitas nescio cuius in aula regia sparsae famae, quae ad nominis nostri suggillationem spectare videatur, nos admonet, perinde quasi id agamus, ut Lutheri libri in idioma Polonicum traducti tandem a typographis per multa exemplaria excudantur, id quod est valde molestum nobis sic praeter meritum traduci. Proinde rogamus Dignitatem Vestram, ne quid temere istiusmodi vituperonibus credatis, qui ex parva aliqua scintilla magnum faciunt incendium, ex humili tumulo producunt in altum. Nam res ita se habet.

Videmus non sine magno animi dolore, quales et quam imperitos habeant nostri subditi sacerdotes in ea parte Ducatus nostri, quae Polonico idiomate utitur. Curamus igitur, ut bonus et fidelis Princeps, ut subditi nostri non solum corpora, bona, aras et focos salvos habeant, sed et ne animas in gehennam transmittant, atque non parva impensa, maiore autem diligentia, fecimus a theologis nostris pro rudi plebecula cathechismum et puerilem quandam instructionem colligi, quo tam sacerdotibus quam illiteratae plebeculae inserviremus; ut discat primum sacerdos, deinde populum doceat, quid sit Trinitas, quid Pater Omnipotens et universi huius Creator, quid Filius unigenitus pro nobis passus, mortuus et denuo resurgens, quidque Spiritus Sanctus Paracletus et in adversis consolator; quid id sit, quod in Decalogo nobis praecipitur et quomodo verba dominicae orationis sint intelligenda, ne si caecus caecum[a] ducat, ambo in foveam decidant.

Hunc libellum, simulatque a doctis absolutus fuerit, mittam Dignitati Vestrae ea lege, ut si quid in eo depraehensum fuerit, quod a christiana veritate abhorreat, idque ipsum iusta aliqua ratione colligatur, non erubescemus vel palinodiam canere atque adeo typographis transcribendi non permittere, vel etiam condignas eiusmodi impietatis, si qua temeritate faceremus per multa exemplaria divulgari, dare poenas. Nam malumus missa[b] ad collum asinaria mola, iuxta Christi Iesu Servatoris nostri dictum, mergi in oceani profundum, quam cuiquam etiam ex minimis esse offendiculo. Praetereamus autem hic, quod Regiam Maiestatem aliquo temerario ausu non libenter offenderemus. Proinde cum ista ab inimicis sparsa esse firmiter credimus, rogamus Dignitatem Vestram, ut non patiamini innocentiam nostram in regia aula periclitari. Nos dabimus vicissim operam, ut Dignitati Vestrae di-

ligenter commodemus. Bene valeat Dignitas Vestra et quidem ex animi sententia. Datae e Regio Monte, 12 Septembris anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ioanni Cointzky Archidiacono Cracoviensi etc., 12 Septembris.

a) *in ms.* caecus
b) *in ms.* misso

*N. 457.*

*E Regio Monte, 12.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*cuidam « venerabili »*
*pro diligentia ac studio pro conducendo sibi molitore gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 581.*

*N. 458.*

*E Regio Monte, 12.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao [Zachariae Italicio], Christophori Szydłowiecki secretario,*
*pro binis litteris* « novarum rerum cumulis atque attici leporis gratia admirandis » *gratias agit et rogat, ut quod cepit pergat et* « quid nobis parturiat Africa » *ne celet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 581.*

*N. 459.*

*E Regio Monte, 15.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*petit consilium, quid sibi faciendum esset, si a novo Ordinis magistro poenale mandatum contra se [ab imperatore] impetraretur.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 588.*

Serenissime atque Potentissime Rex, Domine Clementissime.

Accepi hodie literas a consiliario nostro et fideli Georgio Clingenbeck, quibus artibus inimici partim Regiae Vestrae Maiestatis, partim nostri, nos circumvenire et quam aperto etiam Marte nos opprimere conentur. Proinde cum post Deum Optimum Maximum neminem nisi Regiam Vestram Maiestatem, uti Dominum clementissimum atque patrem pientissimum, ad quem confugiendum sit nobis, habeamus, precamur supplices, ut Regia Vestra Maiestas Serenissima imperciat nobis consilium, si forte poenale mandatum a novo illo in Magistrum Ordinis investito[1] impetraretur, quid in istiusmodi procellis et fluctibus statuamus, quibusque artibus inimicorum nostrorum, praesertim autem Gedanensium, quos habemus vicinos non admodum amicos, in-

sidias effugere queamus; deindeque non dedignetur pro solita clementia atque paterna pietate nos tueri, ut haec iacula malorum nos minime feriant. Si quid est in nobis officii atque virium, Regiae Vestrae Maiestati usque ad sanguinem etiam et animum offerimus. Nos et consors nostra[2] charissima commendamus nos Regiae Vestrae Maiestati eiusque consorti[3] charissimae cum filio Rege, parentibus et Dominis clementissimis, supplices, precantes reverenter pacem, sanitatem atque omne bonum. 15 Septembris anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Polonorum, 15 Septembris.

1) *Valterus a Cronberg.*
2) *Dorothea.*
3) *Bona.*

## *N. 460.*

*E Regio Monte, 15.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, timet, ne Gedanenses, si Cruciferi poenale mandatum contra se [ab imperatore] impetraverint, ferociores sibique periculosiores fiant.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 587.*

Illustris ac Magnifice Frater.

Posteaquam istas ad Regiam Maiestatem et ad Illustrem Magnificentiam Vestram claudi fecissemus literas, accepimus tabellarium nostrum cum novo literarum fasciculo a consiliario nostro et fideli Georgio Clingenbeck ex Onoltzbach. Quarum literarum summam quandam Illustritati Vestrae hic transmitto. Et quia inimici nullum non movent lapidem, Gedanenses autem, si quod forte poenale mandatum a Cruciferis impetraretur, propter salsuginosam illam viciniam essent nobis timendi, quaeso Illustritatem Vestram et[a] pro inita inter nos necessitudine obtestor, ut rebus anhelantibus primum apud Regiam Maiestatem, deinde apud reliquos Dominos Episcopos et Regni Polonorum proceres, ab Illustri Vestra Magnificentia, quibus et commodari diligenter cupimus[b]. Postremo sic temperet Illustris Magnificentia Vestra apud Regiam Maiestatem atque Regni proceres caussam, ne Gedanenses impetrato istiusmodi poenali mandato temere nobis facessant negocium et ne nimia illa indulgentia faciat eos ferociores, quandoquidem sic fieri potest, ut Regiae quoque Maiestati medium tandem digitum ostendant, ne inimici pro libito contra nos triumphent, ut quemadmodum ab eis in medio mari atque ideo periculoso omnium rerum nostrarum statu derelicti sumus, ita quoque nunc ex optatissimo portu in procellas oceani rapiamur. Si quid vicissim erga Illustrem Magnificentiam Vestram poterit opera nostra, nihil erit, quod nos ab officio fraterno dimovebit. 15 Septembris anno XXX.

*In initio epistolae in margine:* Domino Christophoro a Schidlovitz, 15 Septembris.

a) *correctum ex:* ut
b) *propositio ob verba ab amanuense omissa intellectu difficilis.*

## *N. 461.*

*E Regio Monte, 16.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio et zuppario Cracoviensi,*
*pro 4 equis sibi Varsavia per Ioannem Bartkowski adductis gratias agit; negotia sua apud regem et reginam promovenda ei commendat. (Germanice)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 195.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 63-63v.*

## *N. 462.*

*E Regio Monte, 16.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de mora in expediendis litteris; de* «bestallungsbrief» *Iacobo Brzozowiec mox mittendo; de stipendio Nicolao Iskrzycki solvendo; de regalibus ab imperatore magistro Ordinis Theutonicorum concessis; de auro et sucino rosario uxori Caroli Kuczer suppeditando.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 61v-63.*

Ann Nickell Nibschitz den 16 Septembris.

Unsern grus zuvor.

Ernvester, lieber, getrewer.

Das wir dich uff dein nechst gethan schreiben nit beantworth, ist keiner andern ursachen, dann das ehr Jobst Ludwig[1] seinen bothen so eylendts abgefertigt und uns sein schickung so langsam und spath angezeigt vorplieben, wie uns dann yetzo auch vast bescheen, und wir solhe deine brief vorlegt und dismal in der eyl nit finden konnen.

Nachdem wir dir dann kurtzverruckter tag geschrieben, Jacob Przesovitz seinen bestallungsbrief ins erst zuzefertigen, weren wir bey dieser post ze thun woll geneigt gewesen. Es hat aber eyle halben des botten nit woll bescheen mogen. Wollen aber solhs gleichwoll mit dem furderlichsten vorschaffen.

So wir dann aus deinem vorigen schreiben verstanden, das Iszkritzky sich doch mit vorwissen und bewilligung ko.mt. gern fur unsern diener woll geprauchen lassen, sovern wir ime jerlichen zu seinen lebtagen hundert gulden und ein seyden cleyt woll geben etc., hirauf ist an dich unser begeren, du wollest erstlichen bey ko.mt. die bewilligung erlangen und dann mit ime uff volgende meynung weyter handeln. Dweyl wir unsere diener und soldner mit marckzall und nit mit gulden bezalen, so wollen wir ime jerlichen hundert marck, aber kein cleyt, und wenn er von uns geforderdt wurdt, uff so vil pferdt, als er fur sich hat, zehen gulden uff ydes ein quarta geben. Wo er aber sonst weiter mehr volcks wurdt zupringen, dieselbige, in massen ko. mt. zu Polan etc. ire soldner erhalten, besolden wollen, und was du entlichen mit ime beschliessen wurdest, uns dasselbig widerumb zuschreiben.

Der neuen zeytungen zuschickung thun wir uns gegen deiner person gnedigklichen bedancken und wollen dir hinwiderrumb nicht verhal-

ten, das uns Clingenbeck vom reychstag zugeschryeben, das kay.mt. dem teutzschenn meyster[2] die regalia geliehen und Preussen damit eingezogen, das auch vyl practiken daussen gesucht werden, dis landt zu bekommern, wie wir dann hiebei ko.mt. auch zugeschrieben, an dich begerende, woltest bey seiner ko.mt. mit allem vleys anhalten, das dieselb dieses nit in windt schlagen, sonder verner nachdencken und uns seinen koniglichen rath hierin mitteilen welle.

Karell Kutzschernn und sein hausfraw wollest von unser und unser lieben gemahel[3] wegen sehr grussen und ir ansagen, das ir das goldt fur die gulden borten und das bornnstein pater noster soll zugeschickt werden. Auch weiter an ir erkundigen, ob sy uns das seyden gewandt bestelth hab odder nit. Nichsweniger ime, Kutzschern, das er bescheener abrede uns allerley newe zeitung offtmals zuzeschreiben nit sogar vergesse und uns ye bissweilen auch newe zeitung[a] mitteyll und nit so faull, wie bisshere bescheen, sein wolle. Dann wir von der zeit an, als wir von Crackaw gezogen, gar kein schrift von ime bekommen.

Desgleichen wollest dem hern schatzmeister[4], obirmarschalgk[5], der konigin hoffmeister[6] und andern guten hern und bekanten unsern gnedigen willen anzaigen und den hoffmeister erinnern, das ehr unser nit gar vorgessen, sonder ye bissweilen mit einem cleinen brieflein besuchen und bey ko.mt., unser gnedigsten frawen[7] und mhumen, koniglichen bevelch erhalten wolle. An dem allen thustu uns zu gefallen in gnaden gegen dir zu erkennen. Datum Konigspergk ut supra.

a) *sequitur expunctum:* zuschreiben
1) *Decius.*
2) *Valterus a Cronberg*
3) *Dorothea.*
4) *Nicolaus Szydłowiecki.*
5) *Petrus Kmita.*
6) *Nicolaus Wolski.*
7) *Bona.*

### *N. 463.*

*E Regio Monte, 25.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, causam Stanislai Stan, aulici sui, commendat, quam ex Felice ab Allen (Alten), oratore suo, accuratius cognoscere poterit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 589-590.*

### *N. 464.*

*E Regio Monte, 26.IX.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*Felicem ab Allen (Alten) ad exponendas quasdam controversias, Stanislao Stan, aulico suo, cum quibusdam proceribus Regni Poloniae intercedentes, mittit et rogat, ut eum in omnibus audiat et adiuvet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 589.*

N. 465.

E Regio Monte, 30.IX.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*mandato regio de regundis finibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae accepto, rogat, ut eius negotii obeundi diem statuat et ipse tempus sub festum Epiphaniae anni venturi proponit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff: 590-591.*

N. 466.

E Regio Monte, 4.X.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*Felicem ab Allen (Alten), ad Comitia Posnaniensia missum, commendat et rogat, ut ei in omnibus fidem habeat et in rebus suis opituletur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 591.*

N. 467.

E Regio Monte, 20.X.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio et zuppario Cracoviensi,*
*intercessionem apud regem expetit, ut Ioannes Perlenhefter (margaritarius faber?) diutius apud se manere possit, quo inchoatos labores ad finem deducat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 63v.*

N. 468.

E Regio Monte, 26.X.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de subditis regiis in Masovia conqueritur, qui monetam suam ducalem* « in ea aestimatione, qua cusa est », *non accipiant.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 594.*

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Quidquid est in me obsequii ac debiti officii, id totum Regiae Vestrae Maiestati dedico, quam salvam et incolumem esse percupio. Con-

questi sunt nobis subditi nostri Regiae Vestrae Maiestatis subditos in Mazovia monetam nostram in ea aestimatione, qua cusa est, non accipere. Verum quia sic inter Regiam Vestram Maiestatem et nos conventum est, ut eadem debeat haberi nostrae monetae aestimatio, quae et Regiae Vestrae Maiestatis habetur, in cuius rei testimonium ac fidem regii mandati exemplar Regiae Vestrae Maiestati hic una transmittimus, suppliciter atque enixe rogantes, Regia Vestra Maiestas non dedignetur suis subditis eiusmodi dare mandatum, ut amplius temere non committant adversus Regiae Vestrae Maiestatis praeceptum aliquid moliri. Nos dabimus operam, quantum in nobis est, ut Regiae Vestrae Maiestatis mandatis perinde quasi obediens Princeps nulla ratione contraeamus atque ut Regiae Vestrae Maiestati pro nostra imbecillitate vicissim commodemus. Quam Regiam Vestram Maiestatem una cum Serenissima Regina[1] consorte atque Serenissimo filio Augusto Rege et filia Deo Optimo Maximo diligenter commendamus. Id quod faciunt quoque Dux consors nostra[2] cum parvula filiola[3]. Datae e Regio Monte, XXVI Octobris anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 26 Octobris.

1) *Bona.*
2) *Dorothea.*
3) *Anna Sophia.*

*N. 469.*

*E Regio Monte, 26.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*rogat, ut sibi clarius scribat, qua in re et quibus modis publicani sui subditos regios novis teloneis et vectigalibus vexent.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 592.*

Albertus, Dei gratia etc., Alberto Gastoldo etc. s. d.

Accepimus literas Magnificentiae Vestrae deprecationis plenas, quibus nobis significatis thelonium atque vectigal erga Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi atque avunculi suspiciendi, subditos ultra consuetum morem a nostris publicanis atque thelonariis adaugeri. Id quod nobis est valde molestum, sine nostro iussu aliquid a nostris temere innovari. Verumtamen quia ignoramus nos, quibus rationibus et qua in re eiusmodi innovatio a nostris tentata sit, rogamus Magnificentiam Vestram, ut non dedignemini clarius nobis singula perstringere, ut possimus, quantum in nobis est, cavere, ne quid contra inita pacta, conventiones, veteres consuetudines, imprimis autem contra Regiam Maiestatem, committamus. Si quid poterit Magnificentiae Vestrae opera nostra vicissim praestare, nihil erit, quod nos ab officio dimovebit. Datae e Regio Monte, vigesima sexta Octobris anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Alberto Gastoldo, 26 Octobris.

*N. 470.*

*E Regio Monte, 26.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*«magnifico ac generoso» [Adriano Gołyński, castellano Czernensi]*
*queritur monetam Pruthenicam in Masovia* «in ea aestimatione non accipi, qua cusa atque ab initio aestimata est».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 205.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 595.*

*N. 471.*

*E Regio Monte, 27.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Hieronymo Szafraniec de Pieskowa Skała*
*pro 12 canibus venaticis sibi dono missis gratias agit et ipse canem femellam et tres falcones vicissim mittit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 592-593.*

*N. 472.*

*E Regio Monte, 28.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*non a se teloneum et vectigal adauctum vel innovatum esse affirmat, sed econtra a subditis regiis fraudem esse commissam in veteres leges et consuetudines.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 595-596.*

Albertus etc. Alberto Gastaldo etc. S[alutem]

Accepimus literas Magnificentiae Vestrae, quibus pro Vilnensibus civibus, Regiae Maiestatis subditis, Magnificentia Vestra intercedit. Quin et accepimus a Regia Maiestate eadem de re epistolam, perinde quasi adaucti thelonei atque vectigalis admonemur. Nos vero, ut verum fateamur, si quis iuste perpenderit hoc negocium, nihil prorsus innovavimus, sed fuit a Regiae Maiestatis subditis fraus commissa in veteres leges atque consuetudines, siquidem cum in Labyen certa pecuniae summa acciperetur pro singulis cerae massis atque masses ipsae non essent inaequales, excogitatum fuit commentum, ut tantum haberet ponderis una massa, quantum olim duae. In hunc sumus necessitatis angulum compulsi, ut publicani nostri atque ii, qui theloneo praesunt, amplius non numerent massas cerae, sed ponderent, nimirum ut eiusmodi fraudi obviaretur. Id quod Regiae quoque Maiestati significavimus. Quod remedium si cum aequitate pugnare videbitur, nos dabimus operam, ut propediem faciamus innovationem. Praeterea mi-

ramur ab istis hominibus innocentiam nostram hoc modo apud Regiam Maiestatem traduci, cum aequitas postulaverit nos primum ea de re interpellari. Proinde rogamus Magnificentiam Vestram, ut Regiae Maiestatis subditos admoneat, ne amplius talia committant. Nos dabimus operam, ut Magnificentiae Vestrae gratias aliquando referamus Datae e Regio Monte, XXVIII Octobris.

*In initio epistolae in margine:* Alberto Gastaldo, 28 Octobris.

*N. 473.*

*E Regio Monte, 30.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*non a se telonea in Kuckerneese et Labiau aucta esse asserit, sed a civibus Vilnensibus et Caunensibus fraudem esse commissam.*
*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 596-598.*

Serenisseme Rex, Clementissime Princeps.

Accepimus XXIIII Octobris Regiae Vestrae Maiestatis XX Augusti scriptas, quibus Regia Vestra Maiestas indicat nobis querelam subditorum Vilnensium atque Caunensium civium, perinde quasi in Kukernese et in Labyen vectigal sive theloneum adversus inita pacta et veterem consuetudinem adauxerimus. Nos vero, Serenissime Rex, id quod cum pace Regiae Vestrae Maiestatis dictum esse volumus, contra aequitatem ab istis hominibus hac sinistra conquestione gravamur. Siquidem quod ad Kukernenzes adtinet, nihil est, quod amplius thelonei accipiatur. De Labiensibus vero sic habet negocium. Statuta fuit edicto predecessariorum nostrorum certa pecuniae summa persolvenda in singulas cerae libras. Id quod hodie quoque observatur in parvis rusticorum atque pauperum massis. Quod ius accipiendi vectigal a praedecessoribus tanquam per manus, ut dici solet, accepimus. Verumtamen cum vasa cuprea, in quae massae cerae liquefactae infundi solent, certae ac statutae fuerint magnitudinis, Labienses atque reliqui confines, ut huic sive edicto sive legi fraudem facerent, ausi sunt eiusmodi vasa cuprea ampliare ita, ut una massa tantum ceperit habere ponderis, quantum antea duae. Proinde nobis non fuit possibile alia ratione huic fraudi occurrere, nisi ut amplius ceram non numeraremus, sed ponderaremus; quo fit, ut summa aequalitas utrobique observari queat, neque nobis negociatores ultra imponant.

Rogamus itaque Regiam Vestram Maiestatem, ut praefatis subditis mandet, ne nos a possessione atque iure nostro temere deiiciant nullamque innovationem inceptent. Precamur Regiae Vestrae Maiestati una cum Serenissima Domina Regina[1] consorte, Domino Augusto Electo, Domina filia[2], liberis charissimis atque dulcissimis pignoribus, salutem, pacem, gaudium atque omne bonum. Id quod sedulo quoque facit Dux consors[3] nostra cum parvula filiola[4]. Datae e Regio Monte, III Calendas Novembris anno a nato Christo Servatore MDXXX.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, 3 Calendas Novembris.

1) *Bona.*
2) *Hedvigis.*
3) *Dorothea.*
4) *Anna Sophia.*

## *N. 474.*

*E Regio Monte, 31.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*nobilem Gregorium Meck commendat, qui petit,* « ut simulatque praefectura Vilnensis ministro vacaverit, dignetur Regia... Maiestas ei demandare eius officii provinciam ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 593.*

## *N. 475.*

*E Regio Monte, 31.X.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*nobilem Gregorium Meck commendat,* « ut, si quando vacatura sit praefectura Vilnensis, ipse queat eiusmodi officio praefici ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 593-594.*

## *N. 476.*

*E Regio Monte, 4.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*causam fratris sui Georgii marchionis commendat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 600.*

Salutem et quidquid est in nobis grati officii.

Illustris et Magnifice Frater, nobis multis nominibus chare.

[a]Accepimus relationem[b] atque fraternam Magnificentiae Vestrae salutationem a Iusto Iodoco Decio; qua de re agimus Magnificentiae Vestrae magnas gratias. Verum quia iam de utriusque Hungariae Regum[1] concordia Posnaniae in maximo illo conventu tractatur atque per occasionem, uti speramus, fieri potest, ut Illustrissimi Principis Domini Georgii Marchionis Brandenburgensis etc., fratris nostri germani, negocium, quod ad arces eius sive occupatas sive ereptas in Hungaria adtinet, in disceptationem[c] obiter sit venturum, quaesumus Magnificentiam Vestram, ut praefati Marchionis, fratris nostri germani absentis, caussam non aliter atque meam optimus patronus et sic suscipiat, ut eo nomine queat uterque nostrum Illustritati Vestrae aliquando, praeter reliqua in nobis collata beneficia, maximam gratiam referre. Quod ut faustum sit et foelix atque nobis omnibus bene cedat, faxit Omnipotens, qui in coelis est. Cui Magnificentiam Vestram per Christum

Iesum Dominum nostrum fideliter commendamus. Datae e Regio Monte, 4 Novembris anno etc. XXX.

*In initio epistolae in margine:* Christophoro Schidlowitz, IIII Novembris.

a)-b) *in margine.*
c) *sequitur expunctum:* obiter

1) *Ferdinandus I et Ioannes Zápolya.*

*N. 477.*

*E Regio Monte, 4.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christino Kuberski, vexillifero Visnensi,*
*salarium annuum petenti respondet: primi anni salarium ei iam numeratum esse Cracoviae sub festivitatem Pentecostes a secretario suo Georgio Rudolff; secundam partem ei numeratum iri sub festum Pentecostes anni proxime futuri 1531.*
*(Schedula: « iactum retis » in Rastenburg ei permittit).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXIV, N. 204.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 600-601.*

*N. 478.*

*E Regio Monte, 12.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Carolo V imperatori*
*decem falcones dono mittit,* « ut habeat..., quo se ab immensis totius orbis negociorum sollicitudinibus animi gratia delectet atque recreet ».

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 589-590.*

Invictissime atque Gloriosissime Caesar, Domine atque Princeps Clementissime.

Si quid est in me obsequii, quod fateor esse perquam exiguum[a)], id Sacrae Caesareae Vestrae Maiestati Serenissimae supplex iuxta ac pronus offero. Nimirum cum maiores mei bonae memoriae una cum parente meo Foederichio et fratre Casimiro nuper in Christo defuncto, Marchionibus Brandenburgensibus etc., gloriosissimis maioribus Caesareae Vestrae Maiestatis Serenissimae, praesertim vero divo Maximo Aemiliano[1)] Caesari, atque adeo splendidissimae Archiducali Domui Austriae, pro debito officio sic commodaverint, ut haec nostra qualis qualis Domus Brandenburgensis ea in re non infimum locum inter reliquas[b)] principales Germaniae familias sibi iure sine invidia vendicare queat. A qua splendidissima[c)] Archiducali Domo non modica beneficia Brandenburgensis familia[d)] vicissim recepit. Proinde ut a parentum meorum

vestigiis non videar aliqua ratione discedere atque qualem qualem debiti officii significationem[c] de me praestem, transmitto Sacrae Caesareae Vestrae Maiestati Serenissimae decem falcones aves, id est, ut maximi poetarum utar verbo: dosis d'oligete philete[f], hoc est munus utcunque exiguum, attamen a charo et supplici pectore profectum, ut habeat Sacra Caesarea Vestra Maiestas Serenissima, quo se ab immensis totius orbis negociorum sollicitudinibus animi gratia delectet atque recreet, suppliciter et enixe rogans, ut eadem Sacra Caesarea Vestra Maiestas Serenissima pro innata clementia atque pietate non dedignetur exiguum[g] hoc meum obsequium boni consulere atque delatoribus (qui nihil aliud didicerunt, quam faman inmerentum quorumvis apud principes Monarchas temere sugillare), quantum ad meam personam adtinet, vel aures non praebere vel alteram saltem meae innocentiae atque defensioni illaesam reservare. Ego, quantum in me est atque illa mea imbecillitate fieri potest, dabo operam, ut erga Sacram Caesaream Vestram Maiestatem Serenissimam et splendidissimam Archiducalem Domum Austriae non secus atque officiosus et gratus inveniar, commendans Sacrae Caesareae Maiestati Vestrae Serenissimae me atque Brandenburgensem familiam. Cui salutem, pacem, stabile[h] imperium et omne bonum una cum Serenissima Domina Imperatrice[2] consorte et filio[3], Dominis meis clementissimis, suppliciter a Deo Optimo Maximo per Christum Servatorem Dominum nostrum precor. Datae e Regio Monte in Borussia, pridie Idus Novembris anno a nato eodem Servatore Iesu Christo MDXXX.

*In initio epistolae in margine:* Carolo Quinto Sacri Romani Imperii Caesari, pridie Idus Novembris.

a) *correctum ex*: exigium
b) *correctum ex*: reliquos
c) *in ms.* spendidissimam

e) *in margine.*
f) *in ms. graecis litteris scriptum*
g) *in margine pro expuncto in textu*: exigium
h) *in margine pro expuncto in textu*: stabule
1) *Maximilianus I.*
2) *Isabella.*
3) *Philippus.*

*N. 479.*

*E Regio Monte, 19.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Hieronymo Łaski, palatino Siradiensi,*
*indignabundus refutat mendacia quaedam in se et in principes Germaniae,* « quos quidam Lutheranos soliti sunt appellare », *sparsa.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 601-602.*

S[alutatio]

Nobilis et Generose, retulit nobis Iustus Ludovicus Decius, accepisse se literas a nobili ac strenuo Domino Theodorico ab Hermenstein, quibus verbis Magnificentia Vestra ei significaverit inventam fuisse in certis aliquibus literis clausulam, quae sequentia verba fuerit complexa, videlicet: Dux Prussiae habuit suum apud me hominem,

qui egit varia mecum; fuerunt enim ab aliis amicis nostris apud me nunctii, de quibus coram etc. E Lasci, quintadecima Octobris anno etc. XXX. Praeterea Principes aliquot Germaniae, quos quidam Lutheranos soliti sunt appellare, hoc in proxime praeterito Posnaniano conventu promisisse se id curaturos, ne Serenissimo Regi Ferdinando aliquid auxilii adversus eius inimicos ex Germania mittatur etc.

Nos vero admodum moleste ferimus innocentiam nostram a vobis praeter demeritum nostrum in hunc modum traduci, praesertim cum Magnificentia Vestra non ignoret neminem[a] nos vel orathorum vel nunctiorum ad Magnificentiam Vestram delegasse, nisi vel quia fideli nostro Felici ab Altenn commisimus, ut Magnificentiam Vestram nostro nomine salutaret; quem, ut negocia nostra expediret, Posnaniam misimus, vel quia ad Magnificentiam Vestram literis ante unam atque alteram septimanam respondimus. Id tamen quod cum praefata clausula literarum minime concordat, primum quod ratio temporis hoc non patiatur, deinde quia a vobis ad nos nulla de certa re scriptum fuit; tantum abest, ut nos ad incertum certi aliquid responderimus.

Proinde petimus primum, ut si Magnificentia Vestra aliquid habeat, quod ad Serenissimi Regis Ferdinandi vel alterius sive Regis sive Principis, sive denique inferioris, famam degnigrandam faciat, aliis utatur artibus, quam ut nos sine caussa in periculum temere ducat. Neque enim nos rebus alienis, praesertim periculosis, quaeque et[b] cum christiana pietate et cum civilium morum honestate pugnent, sine ulla ratione libenter ingerimus. Deinde ut optimos Germaniae Principes eiusmodi technis minime adoriatur, quorum integritas atque christiana mens tam perspecta est nobis, ut non ignoremus malle eos cum suis subditis potius quodvis subire periculum atque proprium sanguinem fundere, quam Ecclesiae Christi crudelissimo hosti atque immanissimo tyranno adversus Rempublicam Christianam ulla in parte commodare. Nos dabimus operam, modo id sine iactura Reipublicae Christianae fiat, quam semper excipimus, ut Magnificentiae Vestrae parem operam praestemus. Datae e Regio Monte, XIX Novembris anno a nato Christo Servatore 1530.

*In initio epistolae in margine:* Hieronymo Laski, XIX Novembris.

a) *sequitur verbum expunctum.*
b) *supra lineam.*

*N. 480.*

*E Regio Monte, 20.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*pro « nonnullis mysteriis », sibi per Iostum Ludovicum Decium transmissis, gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 602-603.*

N. 481.

*E Regio Monte, 21.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*« procuratori Romae »* [*Theodorico a Reden*]
*miratur, quod privilegia et reliquas litteras nondum miserit et suadet, ut ea in domo alicuius fidi amici deponat; in praebendam Varmiensem libenter se eum promoturum promittit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 604-605.*

S[alutatio]

Fidelis ac Dilecte.

Accepimus binas literas tuas mensibus Iunio et Iulio scriptas, demum XII Novembris. Primum miramur, quod privilegia atque reliquas literas hactenus nobis non trasmiseris, cum tamen id saltem singulatim fieri potuerit. Volumus autem, ut alicui fido amico, si ulla ratione fieri potest, extra tuas aedes custodiendas transportes, ne forte cum nostra iactura apud te inveniantur. Porro scripsimus hac de re nobili Antonio Fuchero. Proinde poteris eo nomine eius institores sive factores interpellare, quos speramus tibi commodaturos hanc operam, ut sine periculo Norenbergam transmittantur. Deinde dabis operam, ut ex ipsius domus possessione, nisi coactus, non discedas atque naves operam, ut saltem eius ususfructus pro Illustrissimo Principe, fratre germano nostro, obtineri queat; utarisque ea in re consilio et auxilio Reverendissimi Domini Cardinalis Sanctorum Quattuor[1], cuius Reverendissimam Paternitatem nostro nomine diligenter iuxta ac reverenter salutabis.

Praeterea neminem habemus, quem ad prebendam Varmiensem promoveamus; quare si in tuam rem convertere poteris eiusmodi commodum, nihil est, quod tuam personam impediamus. Postremo quod ad salarium pertinet, significamus tibi fieri non posse, ut eiusmodi pecuniam, videlicet ducentorum florenorum, tibi ante ferias Paschatis transmittamus. Poteris quoque per literas convenire Iustum Ludovicum Decium, regium secretarium atque Fucherorum institorem, ut subinde per Fucherorum trapezitas atque mensam salarium tuum tibi transmittatur, vel etiam dare operam, ut hi ducenti aurei tibi propediem numerentur. Nos hoc agemus, ut statim simulatque numerata fuerit, praefato Iusto Ludovico Decio persolvantur. Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Procuratori Romae, XXI Novembris.

1) *Laurentius Pucci.*

N. 482.

*E Regio Monte, 22.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tarnowski, palatino Russiae, exercituum R.P. generali capitaneo, pro officiorum oblatione gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 603.*

N. 483.

E Regio Monte, 22.XI.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*pro parata inserviendi voluntate gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 603.*

N. 484.

E Regio Monte, 25.XI.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Adriano Gołyński, castellano Czernensi,*
*includit schedam de re monetaria (deest), ut mentem suam hac de re melius intelligat.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, f. 605.*

Salutem.

Nobilis ac Generose, Fautor noster dilecte.

Accepimus literas Magnificentiae Vestrae, in quibus nobis in negocio monetario respondet, percepimusque ex iisdem literis Magnificentiam Vestram nec mandatum regium, nec nos de grossis sane intellexisse. Verum ut Magnificentia Vestra hac de re claram informationem accipiat, transmittimus Magnificentiae Vestrae schedam inclusam, in qua ad plenum de grossis et in quibus tum eisdem grossis non sine iactura error committitur, fit declaratio. Rogamusque ac hortamur, Magnificentia Vestra velit nostram schedam et declarationem perlegere[a)], mandato regio parere et se inclito Regno Poloniae, nobis ac caeteris ordinibus terrarum Prussiae conformare, ne error et damnum latius serpat ac cum damno contra mandatum regium diutius perseveret. Quod speramus Magnificentiam Vestram pro officio suo facturam. Et nolebamus in communem Reipublicae commodum ea tanquam scitu necessaria Magnificentiam Vestram latere. Datum ex Monte Regio ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Adriano Golintzschky, 25 Novembris.

a) *in margine pro expuncto in textu*: pellegere

N. 485.

E Regio Monte, 25.XI.1530.

*Albertus dux in Prussia*
*Felici Srzeński de Sokołowo, capitaneo Dobrzynensi,*
*de grosso lato vel polonico vel pruthenico non quattuor, sed tribus solidis recipiendo.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 605-606.*

Salutem.

Nobilis ac Generose, Fautor noster dilecte.

Accepimus literas Magnificentiae Vestrae, in quibus nobis in negocio monetario respondet, gratumque nobis fuit, quando intelleximus

Magnificentiam Vestram mandato regio ac negocio monetario tam diligenter invigilare. Hortamurque et[a] nunc, Magnificentia Vestra non velit permittere, ut grossus latus vel polonicus vel pruthenicus quattuor solidis recipiatur, cum non plus tribus solidis valeant ac recipi debeant. In quo hactenus in Borussia et diutius in Mazovia, non sine magna terrarum iactura, graviter est erratum. Sed id ex debito officio praestare, ut mandatum regium observetur ac grossus latus in Mazovia taliter, ut in Regno Poloniae ac in terris Prussiae, recipiatur ne damna cumulentur, sed quantum fieri potest, omnibus modis[b] relegentur[c] Factura in hoc Reipublicae rem utilem et nobis gratam. Et cupimus Magnificentiam Vestram bene valere. Ex Regio Monte ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Felici Srzenysky de Sokolaw, ut supra.

a) *supra lineam.*
b) *in margine.*
c) *in ms.* relegantur.

*N. 486.*

*E Regio Monte, 26.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, castellano Posnaniensi,*
*pro diligentia et opera aulico suo Felici ab Allen (Alten) in negotiis suis exhibita et animo sibi inserviendi parato gratias agit; ob mortem uxoris eius dolet; ob natam ex filio neptem et filiam viro nuptam gratulatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 606-607.*

*N. 487.*

*E Regio Monte, 30.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro Andrea Masa (vel Mass), qui in controversia cum consulibus Gedanensibus habita definitivam sententiam obtinuit, Gedanenses vero ab ea sententia* «provocationem sive appellationem» *fecerunt.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 607-608.*

*N. 488.*

*E Regio Monte, 30.XI.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*rogat, ne regina* «clancularii et cunicularii insimulationibus» *et falsis rumoribus de se sparsis fidem dare velit.*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 608-610.*

Promptissimam animi voluntatem et omne obsequium.

Serenissima Regina et Domina mea[a] Clementissima.

Nihil aeque habeo in votis animique mei desyderiis, quam ut Sacras Maiestates Vestras, Dominos ac Principes meos colendissimos et

magna veneratione observandissimos, longa ac prospera sanitate frui semper audire et aliquando etiam, dum licet et datur, intueri possem. Qua affectione devictus descenderam Petrcoviam, ut cum primis viserem Maiestatem Regiam, Dominum et avunculum mihi non minus colendissimum quam amantissimum, tum etiam ut ab illius Maiestate in certis tam Regni Poloniae, quam Ducatus mei negociis consilia salubria capescerem. Discessi tandem a Maiestate eius non usquequaque desyderio meo expleto, quod Sacram Maiestatem Vestram, Dominam et Principem meam, contueri (quod vehementer et optabam et gestiebam) non esset[b] datum. Quando igitur ita non successit, nolui admittere, quominus cum verbis ipse nequiverim, literis saltem hisce Sacram Maiestatem Vestram convenirem. Cuius Maiestati ego cum omni facultate mea iam diu deditus devotusque vehementer cupio esse commendatus. Utque huic meo non minus ardenti quam constanti desyderio facerem satis, velim et obsecro, apud se Maiestas Vestra exploratum habeat me in hac vita nihil posse, quod pro dignitate, fama et honore Maiestatis Vestrae non possem. De quo optarem, ut Maiestas Vestra Serenissima aliquando periculum facere non dedignaretur, et tum primum agnoscet ea, quae olim verbis coram spopondi[c] et hic repromitto, veriora esse, quam quae malevolorum improbitas de me superseminat et in perniciosum rumorem clanculariis autoribus deducit in aulis Maiestatum Vestrarum et quae forsann aliquando ad aures Vestrae Maiestatis, ut traducatur nomen meum, perferuntur, quemadmodum, dum Petrcoviae essem, subodoravi. Et quamvis nihil dubitem Maiestatem Vestram non vulgari prudentia praeditam, neque vanis rumoribus ab opinione recti in diversum deflecti debere, neque de me erga Maiestates Vestras et pignora Maiestatum Vestrarum charissima propensissimo observandissimoque quidpiam sinistri et animum Maiestatis Vestrae concitantis, absque debita pervestigatione apud se comcepturam[z]. Pro cuius gratia consequenda, simulque pro felici statu proque fortunis Maiestatum Vestrarum et Serenissimi Regis iunioris, facultates fortunasque meas ac vitam etiam ipsam extremis periculis exponere sum paratus et eandem legem liberis meis, si quos per Dei clementiam charissima coniux[1] mea ediderit, erga liberos Maiestatum Vestrarum sum relicturus. Precibus tamen quam maximis a Maiestate Vestra Serenissima exposco, ut pro bonitate atque clementia sua de fide et integritate mea erga se ac utramque Maiestatem Regiam ita sibi, quemadmodum scripsi, persuadens, clanculariis et cuniculariis insimulationibus, si quae ad Maiestatem Vestram [pervenerint], (quod tamen non puto futurum, neque pro innocentia mea reformido), sed ex abundanti fervore, quo gratiam Maiestatis Vestrae sitio, precor et vehementer rogo, nolit illis fidem dare et me non auditum, imo nihil tale demerentem, apud se pro noxio habere. Magnam autem gratiam mihi exhibebit, quando ea, quae mentem eius reginalem offendere debeant, mihi declarare vel suis vel alienis literis dignabitur. Nam haec est mihi perpetua mens et constans voluntas, ut nullam praetermittam occasionem, per quam possem devincere animum Maiestatum Vestrarum et mereri et conciliare mihi gratiam Vestrae Maiestatis Serenis-

simae. Cuius clementiae iterum iterumque me una cum coniuge[1] mea amantissima plurimum commendo. Datae etc.

*In initio epistolae in margine:* Reginae Poloniae circa finem huius anni trigesimi et principium sequentis trigesimi primi.

a) *suprascriptum pro expuncto*: nostra
b) *in ms.* esse
c) *correctum ex*: spospondi
z) *sic in ms.*
1) *Dorothea.*

*N. 489.*

*E Regio Monte, 7.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Samogitiae [Stanislao Kieżgajło]*
*pro Nicolao John (Jhan) intercedit, ut cohibeatur licentia eorum, qui eo absente in silva in Samogitia conducta magna ei damna intulerunt.*

*(Haec epistola in ms. tota expuncta est).*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 43, f. 43.*

*N. 490.*

*Neidenburgi, 12.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de suo Petricoviam adventu dominica proxime futura nuntiat et rogat, ut die lunae sequente audientiam apud regem ei impetret et commodum hospitium in suburbio procuret.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 64.*

*N. 491.*

*Petricoviae, 16.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*de vinis emendis; de argenteis grossis.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 64-64v.*

An ehrn Jobst Ludwigen den 16 tag Decembris.

Wir haben mit Hansen Aychlern handeln lassen, das ehr uns zwey legel reinfals bestellen und zustehen lassen soll, desgleichen zwey legel guts, clars muschkatellers. Demnach ist unser gnedigs begeren, yr wollet mit allem vleis vorhelffen, das uns etwas guts bestelt werde, das

geldt darfur ausslegen und uns uff unsern uncosten gen Konigspergk vorfertigen. Wollen wir auch desselben euers ausgelegten geldes zu dangknemenden gefallen alsdann gnediglichen entrichten.

Uns hat auch euer muntzschreiber zu Konigspergk beiligende silbergrosslein behendigt in meinung, euch dieselben alhie zuzestellen und mit euch weiter daraus zu handeln. Dweil wir aber euer person alhie nicht antroffen, sunder vormerckt, das ir euren wegk nach Crakaw genommen, haben wir nicht undterlassen wollen, euch solhe groslein zuzefertigen, und so yr euch der tag eins widderumb gen Konigspergk verfugen werdet, wollen wir weiter mit euch davon reden und handeln. Euch allen gnedigen willen zu geleisten sein wir geneigt. Datum Pieterkaw ut supra.

### *N. 492.*

*Petricoviae, 19.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio et zuppario Cracoviensi,*
*2 dolia vini apiani Veneti* («guts venedischen muschkatellers») *sibi procurari petit.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 64v.*

### *N. 493.*

*Petricoviae, 24.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Friderico Schmaltz, civi Posnaniensi,*
*rogat, ut Georgio Vogler, Georgii marchionis Brandenburgensis cancellario, certam pecuniae summam suo nomine transmittat.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 65.*

An Friedrichen Schmaltz den 24 Decembris.

Nachdem der erbar und ernvest unser heuptman zur Mymmel etc., auch unser camermeister Cristoff Gattenhofen, euch kurtz verruckter tag von Konigspergk ab aus unserm bevelch geschrieben, etlich geldt dem erbarn, auch unserm rath, und lieben, getrewen Georgen Voglern, unsers freuntlichen, lieben bruders, hern Georgen marggrafen zu Branndenburgs etc., cantzler, von unsertwegen zu erlegen, demselben nach ist an euch unser gnedigs begeren, ir wollet unbeschwerdt sein, solhem ins furderlichst volziehung zu verschaffen, damit dis orts traie und glawb, so unserthalben zugesagt, moge erhalten werden. Soll euch euer ausgelegt geldt zu dangknemenden gefallen gnediglichen widderumb entricht und bezalt werden. So wollen wir es[a] euch in sondern gnaden gegen euer person zu erkennen nicht vorgessen. Datum Pieterkaw ut supra.

a) *supra lineam.*

*N. 494.*

*Petricoviae, 24.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*de noto quodam negotio — iuxta desiderium Decii — se cum rege locuturum esse significat et de exitu eiusmodi colloquii eum certiorem facturum.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 65-65v.*

*N. 495.*

*Petricoviae, 28.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*rogat, ut Ioanni Aychler, civi Cracoviensi, summam 653 aureorum, pro serica veste et aliis mercibus sibi suppeditatis ei debitam, persolvat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 65v.*

*N. 496.*

*Petricoviae, s.d.XII.1530.*

*Albertus dux in Prussia*
*universis*
*notum facit se Iacobum Brzozowiec (in ms.* Przewitz) *harum vigore litterarum in famulum suum accepisse.*

*(Litterae in Ostpr. Fol. expunctae sunt).*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 48, ff. 611-612.*

# 1531

*N. 497.*

*Neidenburgi, 4.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*rogat, ut residuam pecuniam, Ioanni Aychler (Eychler) adhuc debitam, suo nomine ei persolvat; consilia praebet circa monetam in Regio Monte cudendam.*

*Cfr. El. XLVI, N. 35.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 66v.*

An Jobst Ludwigen den 4 Januarii 1531.

Nachdem ir uns vor der zeit auf den koniglichen landtag zu Peterkaw mit geldt zu verlegen vorwenung gethan, und wir desselbigen nit bedorft, haben aber zu unser und unser freuntlichen, lieben gemahell[1] nodturft daselbst von Hansen Eychlern etzlich sammath und seiden gewandt gekauft und ein summa geldes daran geben und nach etlich hundert margk hinderstellig plieben, als ist unser gnedigs begeren, ir wollet von unsertwegen berurtem Hansen Eychlern des ubérigen nachgepliebenen geldes ane verzug, vermog unsers vorigen derhalben an euch gethan schreiben, bezalen. Das wollen wir uns mit euch auf widderkunft zu gutem danck vorgleichen und in gnaden erkennen.

Ferner werden wir bericht, das ir in unser muntz zu Konigspergk nichs anders, dan schilling und ander geringe muntz schlahen last und werde darduch die silbere, gute muntz aussem landt demselben zu margklichem vorfang gepracht. Welchs sich der gemein man sehr und hochlich thut beschweren und haben derwegen schriftlichen an uns gelangen lassen. Hirauf synnen wir an euch gnediglich, ir wollet mit dem muntzen zu Konigspergk diss ansehen haben, damit dreier und sechser, auch sunst zal groschen gemuntzt werden, dardurch besserung und nicht geringerung der muntz gespurth. Unsers versehens ir werdet euch hierinnen der billigkeit selbst weisen. Das wollen wir mit besondern gnaden gegen euer person abzunemen ingedenck sein. Datum Neidenburg ut supra.

1) *Dorothea.*

N. 498.

Rosacken, 10.I.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*de aggressione in eum facta et damnis ei in Regio Monte illatis dolet; si subditos suos eius facinoris reos fuisse demonstratum erit, se eos severe puniturum esse nuntiat.*

*Cfr. El. XLVI, N. 34.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 71v-72.*

Wir haben dein schreiben den 9 tag Januari zu Rosacken uff unsern buden entpfangen, darinnen du anzaigst, wie dir von etlichen zu Konigsperk vylfeltiger vordries und widderwillen mit worten und andern kegen deine diener gescheen soll; auch darneben vormeldest, wie dir ein uberfhall und einbrechen an den gewelben widderfaren und schaden empfangen etc. So solhs gescheen, tragen wir gar keinen gefallen und vorsehen uns solhs nicht zu unsern dienern. Ist derhalben an dich unser getrewer rath, wollest dich nichsdestweniger der sachen aigentlichen und grundtlichen erkundigen, und wo dem allenthalben also were, wollest dich zufrieden stellen biss, will Got, auf unser zusamenkunft, dich alsdann zu uns nach Konigspergk verfugen. So wollen wir die sachen gnediglichen durch dich und andern verhoren, und so wir etwas unpillichs gegen den deinen vorgenommen vermercken, sollestu darinnen spuren, das uns von ynen in unserm abwesen kein gefallen daran gescheen; und mocht villeicht solhs durch vorwarlosung deiner selbst diener gescheen sein, dieweil sie teglichs in der muntz umbgehen und wolten vyllieber gesehen haben, das den deinen von unsertwegen alle furderung gescheen were, und wollen also den uberfhall und mutwillen straffen. Daran du ein gnuge haben sollest. Das wir dir also uff dein schreiben unangezeigt nicht wolten lassen, dann dir in anderm zu gefallen seind wir geneigt. Datum Rosagken ut supra.

N. 499.

Spychowo (Poppen), 14.I.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de expulsi regis Daniae Christiani apud imperatorem et regem Ferdinandum practicis contra modernum regem Daniae directis; de rationibus et causis, ob quas orator Caroli V ex Moscovia revertens et orator Moscoviticus a rege Daniae* [*Friderico*] *detenti sunt etc.*

*Cfr. El. XXX, N. 63.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 67-69.*

An konigliche mt. zu Polan den 14 Januarii.

Durchleuchtigister, grosmechtiger konig *etc.*

Ich setz in keinen zweifel, E.Ko.Mt. sein inngedenck, aus wes beweglichen ursachen ich meinen abschied so eylendt von E.Ko.Mt. genommen, als nemlich der botschaft halben, so ko.w. von Dennemargk[1], mein genediger, freuntlicher, lieber her ohem und vatter, zu mir ge-

fertigt. Wer auch gantz wolgeneigt gewesen, E.Ko.Mt. des gesandten werbung vor der zeit zu vorstehen zu geben. Dweil ich aber teglichen meins secretarien, so ich bey E.Ko.Mt. etlicher gescheft halben umb antwort zu sollicitiren gelassen, ankunft verhofft, habe ich dasselbig, ob villeicht durch ynen etwas darauf E.Ko.Mt. widderumb zu beantworten vonnoten eingepracht, bissher verzogen. Damit aber E.Ko.Mt. solhe des genanten meins gnedigen hern und freuntlichen, lieben oheims und vatters, ko.w. zu Dennemarcken etc., werbung lenger nit verhalten, gebe ich E.Ko.Mt. gantz dienstlicher meynung zu erkennen, das sich yetzgemelte werbung ungeverlich dohin erstreckt, nachdem ko.w. zu Dennemargk bericht, das konig Cristieren sich allerley bey romischen kay.mt.[2] und konig Ferdinanden etc. zu practiciren undterstehen, dardurch ko.w. villeicht mit gewaltiger hanndt thetlichen uberzogen, oder aber in die keyserliche acht gethan zu werden sich befharen mussen etc., mich derhalben ermonnth und gebeten, etlich kriegsvolgk zu ross und fuss zu bestellen und zu besprechen, domit ich seiner ko.w. uff derselben weiter zu schreiben mitht solhen dienen mocht. Nichsweniger, wo es zu veindtlichem furnemen gereichen wurde, mit etlicher kriegischer zubereitung vorsehen, mein landt offen halten und die meinen dienen lassen mit angehefter erpitung, mir und meinen landen, wo dieselben eynichen uberfhall, (welcher, so sein ko. w. solten uberzogen werden, schwerlichen umbgangen wurde) erdulden thet, widderumb mit aller koniglichen macht und vermogen hulflich und retlich zu erscheinen, auch alle sein konigreich und landt zu offnen.

Folgenndts auch angezeigt, wie ko.w. zu Dennmargken den keyserlichen gesanndten Steffan Klintzitz und die muschkauische botschaft in Dennemargk nit on bewegliche ursach uffgehalten etc. und desshalben meinen rath seiner ko.w. mitzuteilen begerth.

Dweyl nu woll zu ermessen, so ko.w. zu Dennemargk etc. derhalben mit veindtlicher that solt angetast, das Preussen und auch das konigreich Polann nit lehr ausziehen und verschont, sonder auch angegriffen wolten werden, angesehen allerley practicken und sonderlich ytziger romisch kay.mt. und muschkauisch aufgehaltener botschaft, hab ich ytzgedachter ko.w., sovil mir moglich, auch E.Ko.Mt. derselben und meinen landen, leuten und undterthanen unverletzlich freuntlich[a] zu dienen, zugesagt. Auch als derjhenig, der ye und alweg sorgfeltig des, so wider E.Ko.Mt. zu practiciren undterstanden zu erforschen und abzuwenden, ehe dann mir E.Ko.Mt. schreyben der uffgehalten potschafter halben zukommen, einen langen rathschlag im teutzschen verfast zugeschickt und darinne, meins achtens, nichs, das E.Ko. Mt. zu erkunden vonnoten, vergessen. Denn ich E.Ko.Mt., wo ich meine lateinische secretarien bei der handt gehabt, ytzo gern wolt zugefertiget haben, dann ich ye E.Ko.Mt. mit vyll teutzschen schriften, sovill ymmer umbgangen mag werden, nit gern bekommern wolt.

Damit aber E.Ko.Mt. meinen undterthenigen vleis und gehorsam ze spuren, habe ich von stundt an nach vorlesung E.Ko.Mt. briefs, denselben abcopiren lassen und neben meinen schriften ko.w. zu Dennemargken durch ein eylenden reittenden bothen zugefertiget, abermals, wie zuvor auch gescheen, dienstlichen zu bitten, wes sein ko.w. solher bothschafter halben algereit erkundiget, erfaren, erforscht, oder aber noch erkundigen, erfaren und erforschen werden, mir dasselbig ins erst mitzutheilen, damit ich E.Ko.Mt., sovil dieselb berurt, des

auch vorstendigen mocht, ungezweifelter zuversicht, sein ko.w. werden in dem keinen vleys an yn erwinden lassen, sonder in allem dem, so E.Ko.Mt., derselbigen konigreich, landen und leuten zum besten gereichen mag, gern dienen, auch furderlich und hulfflich erscheinen.

Das auch E.Ko.Mt. in dem andern schreiben vormelden, das leichtlich und mit guten ursachen zu entschuldigen sein, das ich von E.Ko. Mt. die landt Preussen zu lehen empfangen und mich derselben lehen pflichtig gemacht, wo ich auch eynichen anstoss oder veindtlichen angriff vonwegen der belehenung der landt Preussen erdulden solt, das E.Ko.Mt. mich, auch meine landt und lewt irs hochsten vermogens beschutzen und vorteydigen wollen etc., thu ich mich gantz undterthenigs dienstlichs vleis bedancken. Bin auch zweifels onn, wo es die wege (welchs Got gnediglich lang verhuten wolle) erreichen thet, E. Ko.Mt. werden mich und die meinen mit hulff, trost und rath nit verlassen, sonder gnediglichen koniglichen beistandt mitteilen etc.

Nachdem ich auch dann ytzo wenig von meinen rethen und niemandts von den lateynischen secretarien bey mir habe, wil ich dasjhenig, so mir E.Ko.Mt. weiter in schriften zugefertigt, zu meiner gluckseligen heimkunft weiter uberlesen lassen, auch mit meinen rethen nodturftiglichen berathschlagen, und sovill zu beantworten vonnotten befunden, alsdann E.Ko.Mt. (der ich mich als der gehorsam furst thun bevelhen) nit verhalten; dann denselben unsers hochsten vermogens getreulich zu dienen bin ich yder zeit bereithwillig. Datum Poppen ut supra.

*Schedula:*

Nachdem wir auch E.Ko.Mt. zugesagt etlich wilpret zu schicken, also ubersenden wir derselben sampt yr hertzlieben gemahell, unser gnedigisten konigin[3] und freuntlichen, lieben mhumen, hiemit zweng awr undtertheniglichs vleys bittende, E. bede Ko.Mt. wolten solhe von uns in koniglichen gnaden annemen. Wiewoll wir denselben gerne mehr geschigtk, so haben wir der (unangesehen, das kein schnee gewesen) nit mehr fahen konnen. Es thut sich auch unser freuntliche, liebe gemahell[4] gegen E.Ko.Mt. gantz undterthenigs, dienstlichs und demutigs vleis bedancken, das E.Ko.Mt. ir den berlenstigker so lange zeit gnediglichen geliehen und noch bis zu ausgang des monats Aprilis on abgang seiner besoldung leihen wollen. Bevelhen sich auch E.Ko.Mt. als dem gnedigen konig und vatter. Datum ut in litteris.

1) *Fridericus I.*
2) *Carolus V.*
3) *Bona.*
4) *Dorothea.*

## *N. 500.*

*Spychowo (Poppen), 14.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, ad nuptias filiae eius* [*Sophiae cum Ioanne Tarnowski*] *auguria nuntiat et uros mittit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XXXV, N. 216.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 69v.*

N. 501.

*Spychowo (Poppen), 16.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Iskrzycki, capitaneo Camenecensi,*
*eum in servitorem suum suscipit et scire desiderat, quibus stipendiis et cuiusmodi pedites, capitaneos, rothmagistros etc. rex Poloniae sustineat.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 70v-71.*

An Iszkritzky den 16 tag Januarii.
Unsern grus zuvor.
Ernvester, lieber, getreuer.
Nachdem wir dich vor andern zu unserm diener von hawss aus uff etliche pferdt bestelt und angenommen haben, du auch uns zugesagt, das du dich kegen keinem andern herren wollest geprauchen lassen, sonder yder zeit, so wir dein bedorffen, dich zu uns zu begeben gewertig sein, also schigken wir dir unsern bestallungsbrief hiemit zu, mit angehefften gnedigen begeren, du wollest aigentlichen erkundigen, welcher gestalt die behemischen und polnischen fussknecht, derselben heuptleut und ampttragende person, auch der reysigen heuptleut, venndrich, rithmeister und geringe pferdt in kriegsgeschefften von ko.mt. zu Polann, unserm gnedigisten herren etc., undterhalten und versoldet werden, und uns dasselbig ins erst zuschreiben, nichsweniger dich bevleissigen, etliche gute gesellen in irer rustung zu sytzen, doch nit entlich anzunemen, zu sprechen also, das wir derselben, wo wir dir derhalben ungeverlich in zweien monatten weitter schreiben wurden, gewiss sein mochten. An dem allen geschicht uns zu gnedigen gefallen, gegen dir gantz genediglich widderumb zu erkennen. Datum Poppen ut supra.

N. 502.

*Spychowo (Poppen), 16.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de conditionibus, quibus Ioannem Boratyński rothmagistrum una cum certo numero militum in servitium suum suscipere potest; accuratius edoceri cupit, quibus stipendiis et cuiusmodi pedites, eorum capitaneos etc. rex Poloniae sustineat.*

*Ostpr. Fol., vol. 42,, ff. 70-70v.*

An Nickel Nipschitz den 16 Januarii.
Nachdem dir gut wissens, welcher massen du mit dem Waradinski, denselben fur unsern diener anzunemen aus unserm bevelch in handlung gestanden, demselbigen nach ist an dich unser begeren, wo du mit yme nicht entlich beschlossen, du wollest noch mit yme derhalben ubereinkommen und auf die hundert gulden entlich beschliessen und nach solchem beschlus alsdann anzeigen, das ehr sonst auch etliche guthe gesellen besprechen und aufpringen, aber doch solhe biss auf unsern weittern bescheid nicht entlich annemen wolle, sonder allein in gereitschaft zu sein mit in handeln. Dann wir yme ungeverlich in zweyen monatten, wie ehr sich verner hierinne halten solle, aigentlichen bericht zuschreiben wollen.

Desgleichen wollest uns bey gegenwertigen zaiger grundtliche vorzeichnus, wie ko.mt. die bohemische und polnische fussknecht, desgleichen derselben heuptleut, venndrich und andere ampttragende person, auch heuptleut, rithmeister und andere amptleut sampt den leichten pferdt, wo sein ko.mt. solhe in kriegsgescheffte geprauchen, mit besoldung undterhalten, zufertigen und beiligende brief an yre gepurende orth uberliefern.

Dir auch sonst unsere sachen bei beden ko.mt. und andern unsern herren und freunden, wie du weist, wir auch an dir nit zweifeln, treulichen lassen bevolhen sein. An dem allen thustu uns sonderlichen dancknemenden gefallen, in gnaden widderumb zu erkennen. Datum Poppen ut supra.

*N. 503.*

*Spychowo (Poppen), 16.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Aychler, civi Cracoviensi,*
*pannos sericos et alios varii coloris sibi emi et mitti petit.*

*Cfr. El. XLV, NN. 8, 9, 10.*

*Ostpr. Fol:, vol. 42, f. 71.*

Ann Hannsenn Aychlernn zu Crakaw, den 16 Januarii.

Unsern grus zuvor.

Ersamer, lieber, besonder.

Unser begeren ist, du wollest uns gelbe, leybfarbe, groe, braune, rothe, nelcke- und leberfarbe flieg seyden, lauts des gelben beiligenden musters, also das der seyden aller zwey pfundt seyen. Desgleichen drey pfundt gelber, leibfarber, groer, brauner, rother, nelcken- und leberfarber cleiner gezwirnter seyden, wie diss gelbe muster mitpringt, darzu leibfarbe, braune, groe, gelbe und weisse seyden, alles anderthalb pfundt, in massen das muster der praunen seyden hiemit ausweist. Desgleichen zweintzig elen schwartzs[a] damaschkens, aber nicht venedischen, sampt vier elen silberstuck, inhalts des musters, so wir dir hiemit zufertigen. Auch turckische goltgelbe cartecken zu zweien frawenrögken mit eingelegten falten undten herumb biss am leib zu futtern, bey gegenwertigem zaiger zuschigken und uns die summa, wievyl solhs alles gestehn will, zuschreiben. Wollen wir verschaffen, das dir dasselbig ins furderlichst sol bezalt werden und in sondern gnaden dir erkennen. Datum Poppen ut supra.

a) *verbum correctum.*

*N. 504.*

*Carthein (Cortyn), 20.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*opifici salis nitri* (salpetermacher) *Toruniensi*
*de futuro eius cum instrumentis adventu gaudet.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 72.*

## N. 505.

*Corthyn, 20.I.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*de negotiis monetariis; de praeda venatica fratri suo mittenda nuntiat; eum una cum uxore ad se in Regium Montem invitat; nuntiat de Moscovitis non procul a Kiovia iacentibus et de legato a magistro Livoniae in Moscoviam misso.*

*Cfr. El. XLVI, N. 35.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 72v-74.*

An ehr Jobst Ludwigen den XX tag Januarii.

Wir haben dein schreiben, so du an uns gethan, empfangen und verlesen und thun uns gnediglichen gegen dir bedancken deines ausgebrachten geldes, so du Hansen Eychlern von unsertwegen uberreicht, und darneben auch, so du angezeigt, wie du uns eines nähern und bessern kaufs von seyden und aller wahr zugeschigkt wollest haben, ist noch nichs davon vorseumt, sonder, will Got, auf unser zusamenkomen mit dir davon handeln, das wir uns denn deins guten willens auch gnediglichen bedancken.

Der cleinen marg halben wollen wir dir nicht bergen, das ein grosse zwitracht und uneynigkait zu Danntzke gehalten wurdt aus ursachen, dann alle muntz von Konigspergk doselbst hingefurt und aldo XV groschen vor ein marg gegeben und zu Konigspergk XX groschen fur ein m. genommen, und wo hinforder also kein einsehung geschee, so musten wir solhe cleine marg auch nemen lassen, das uns und unsern landen und leuten zu trefflichem, mergklichem schaden und nachteil gereichen wurde. Derhalben unser gnedigs begeren, du wollest ko.mt. zu Poln etc. durch dein schreiben solhs anzaigen, denn wir solhs in unserm schreiben vorlangst auch vormeldt, das solher mutwille geschee. Auch so wollest dem bischoffen von Helspergk[1] und andern herschaften auch schreiben und solhen mutwillen und uneynigkeit anzeigen und bitten, das sie an ko.mt. zuschreiben solhs anzuzaigen, damit bey seiner ko.mt. sovill erlangt, das solhe uneynigkait gestilt wurde und die muntz, wie zuvorn, widderumb genomen mochte werden. Und ins allererst solhs ko.mt. und den bischoffen, wie oben angezeigt, zu schreiben nicht vorgessen, damit durch denselben ein gnedigs mittel hierinne befunden wurde. Das wollen wir gegen dir in gnaden zu erkennen nicht vergessen. Auch wie du uns angezeigt, wie die silberne muntz nicht genommen wurdt, tragen wir nicht wenig verwunderunge und mochten gerne wissen, aus was ursachen solhe nicht gelden will, denn unsers vorstehens doch vyl lieber als die schilling und pfennig gehalden wurdt. Auch unsers hausfoits beredung halben belangende versehen wir uns, solhe unser schrift sey dir zukommen, und so wir, will Got, zu hawss kommen, wollen wir ein gnedigs einsehens haben in dem und andern etc.

Und nachdem uns dann unser both mit der einen handt bericht und angezaigt, das uns dein bruder yme zu seiner kostunge etlich wiltpreth zu schencken hat bitten lassen, das wir denn seiner frewde zu horen seher erfreuet; und schigken yme hiemit ein schwein und II stuck roth wilt zu. Ehr wolle solhs uff dissmal von uns zu danck an-

nemen. Wusten wir yme in einem mehren zu gefallen zu sein, wolten wir nicht undterlassen solhs ze thun.

Derhalben ist unser gutlich synnen und begeren, dweyl du dein hausfraw zu Thornn bey dir hast, wollest nicht undterlassen, ehe du nach Crakaw zeuchst, sambt deinem weibe zu uns unser freuntlichen lieben gemahel kegen Konigspergk begeben und besuchen, und aldo wollen wir uns alle nodturft und sachen, daran uns gelegen, miteinander bereden.

Von newe zeitungen wissen wir dir nichs sonderlichs zu schreiben, allein das der Muschka[2] algereidt biss in die XX tausent mann zu felde[a] nit weit von Kyoff ligen soll. Wiewoll bishere nichs thetlichs durch ynen begangen, so stet doch nichs guts, sonder mehr args zu befharen.

Auch so hat der meister zu Leyfflanndt[3] botschaft in die Muschka geschickt. Dieselben seindt durch den Muschken aldo angenomen und gefengklichen aufgehalten aus der ursachen, das vor zeiten der meister etlich kriegsvolgk durch Leifflanndt passiren hat lassen. Auch widerumb, so hat der meister muschkauische botschaft auch neulich angenommen und gefengklich uffgehalten. So will der Muschka die gefangen nicht ledig lassen; es werde yme dann seine botschaft widderumb zugestellt. Desgleichen helt der meister solhe auch auf und vormeint, Muschka soll yme erstlich seine botschaft zuschigken. Das wir dir also auf dein schreiben, dem wir mit besondern gnaden geneigt, nicht haben vorhalten wollen. Dir sonst allen gnedigen willen zu erzaigen, sein wir woll gewogen. Datum Corthynn ut supra.

a) *sequitur expunctum*: li

1) *Mauritius Ferber.*

2) *Basilius III Ioannides.*

3) *Valterus a Plettenberg.*

## *N. 506.*

*E Regio Monte, 6.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Wrocimowski*
*respondet, cur praefectus suus Neidenburgensis promissum a duce annuum stipendium ex praefectura sua ei dare nequeat.*

*Cfr. El. XXXV, N. 215.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 9.*

Narrat, qui fiat, quod pollicitationi non satisfiat.

S[alutatio]

Nobilis et dilecte.

Accepimus literas vestras, quibus suppliciter petitis annuum salarium praestari vobis a fideli nostro capitaneo in Neidenburg, videlicet tonnam lupi piscis saliti, tonnam mellis et tonnam carnis cervinae salitae. Nos vero non ignoramus eiusmodi pollicitationem Humanitati Vestrae a nobis factam esse, atque eo nomine praefatum nostrum capitaneum coram interpellavimus. Verumtamen is respondit habere se eam praefecturam a nobis certa et praescripta annua pensione; quare cogi a nobis minime debere, ut ultra debitum aliquid adiiciat.

Qua responsione id effecit, ut non queamus ei ultra aliquid ponderis imponere. Rogamus itaque Humanitatem Vestram, ut hoc nostrum responsum boni consulat, atque persuadeatis vobis nos alia quapiam in re vobis gratificaturos. Bene valete. Datae e Regio Monte, VI Februarii anno a nato Christo Servatore MDXXXI.

*In initio epistolae in margine:* Petro Wrotzymowsky, VI Februarii.

*N. 507.*

*E Regio Monte, 7.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bartholomaeo Nowomiejski, exactori terrae Ravensis,*
*de emendo sibi et Gedanum mittendo frumento.*

*Cfr. El. XXXV, NN. 222, 223.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 9-10.*

Rogat emi frumentum idque Gedanum mitti.
S[alutatio]
Nobilis et dilecte.

Quia opus est nobis frumento, misimus hunc nostrum ministrum cum his literis ad vos et rogamus, ut cum nobili nobis dilecto Tirslao de Wodrziwolsky[1], vicino vestro, velitis nobis emere centum plaustra sive lastas frumenti siliginis, plaustrum sive lastram pro XXIIII marcis, computando marcam pro XXX grossis, atque hoc frumentum per Vistulam mittere Gedanum ad aliquem mercatorum et nobis eius nomen indicare, quo fieri queat, ut pro eo frumento mittamus et domum vehamus. Si quid vicissim poterimus praestare, quod ad vestrum commodum faciat, nos dabimus operam, ut vobis maiorem gratiam referamus. Datae e Monte Regio, VII Februarii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Bartholomeo Novomiestzky, VII Februarii.

*Sub textu infra:* Ad eundem modum ad Tirslaum de Wodrziwolsky, mutatis mutandis.

1) *Derslaus Odrzywolski.*

*N. 508.*

*E Regio Monte, 8.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de Gedanensibus veterem monetae usum continuantibus queritur; rogat, ut rex novorum senatorum Gedanensium confirmationem suspendat.*

*Cfr. El. XXX, N. 68.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 10-12.*

De re monetaria. Rogat suspendi confirmationem Senatorum Gedanensium.

Animum inserviendi promptissimum, Serenissime Rex, Domine Clementissime.

Notum facio Sacrae Regiae Vestrae Maiestati, non sine magno animi dolore, cives Gedanenses adhuc permanere[a] in veteri sua pertinatia atque moneta non aliter hodie uti, quam iam olim usi sunt, atque adeo[b] etiam, ut aurum ungaricum tribus marcis novis et marcam non nisi quindecim grossis aestiment. Quae res quam sit Sacrae Regiae Vestrae Maiestatis Regno atque provintiae Borussiae intollerabilis, magis notum est, quam ut explicari debeat, atque magis intollerabilis, quam ut dici queat. Proinde Sacram Regiam Vestram Maiestatem Serenissimam supplex et per Christum rogo, ut dignetur in eum modum agere cum Gedanensibus, ut eorum inobedientia et amplissimo Regno Poloniae et exiguae provintiae Borussiae amplius non sit fraudi. Alioqui etenim in eum necessitatis angulum impellor, ut invitus cogar pristinam monetae aestimationem revocare, utcunque in diversum factis iuratis promissionibus. Quorum alterum nisi propediem fiat, futurum est, ut subditi mei partim universis facultatibus excidant, partim fuga sibi consulant. Quod ut Sacra Vestra Regia Maiestas pro solita clementia prohibeat, supplex et enixe precor.

Praeterea palam factum est mihi Senatorum Gedanensium non superesse nisi octo, reliquos siquidem vita functos. Et quia futurum est, ut ad Divi Petri Cathedra ferias alii octo in praemortuorum locum surrogentur atque a Sacra Regia Vestra Maiestate confirmentur, admoneo suppliciter et per eam pietatem, quam Sacrae Regiae Vestrae Maiestati debeo, precor, ne eam confirmationem Sacra Regia Vestra Maiestas faciat, sed suspendat, quin etiam electionem prohibeat et nobilem Nicolaum a Nibschitz, ministrum et fidelem Sacrae Regiae Vestrae Maiestatis, ad me mittat, cui consilium meum in hac re ad Regiam Vestram Maiestatem perferendum committam. Id quod alioqui neque literis, neque alii ex meis temere committo. Spero namque futurum, ut Sacram Regiam Vestram Maiestatem neque suspensionis neque consilii mei poeniteat. Quam in Christo Iesu una cum Serenissimis Domina consorte[1], Domino filio Rege electo[2] et Domina filia[3], Dominis nostris clementissimis, ego cum consorte[4] et parva filiola[5] bene valere in multos annos voti reus precor. Datae e Regio Monte, VIII Februarii.

Schedula de die finium regundorum.

Serenissime ac Clementissime Rex, quia iam antea scripsimus Regiae Vestrae Maiestati, ut clementer dignaretur scribere Domino Alberto Gastaldo de statuendo die finibus regundis etc., idem nunc suppliciter agimus. Siquidem sine peculiari mandato periculum est, ne nihil agatur.

Praeterea rogamus Serenissimam Regiam Vestram Maiestatem, ut clementer permittat margaritarum sarctorem apud charissimam nostram consortem permanere nonnisi unum atque alterum mensem a festo[c] Nativitatis Christi. Id quod consors nostra vehementer cupit atque uterque nostrum enixe precatur. Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, VIII Februarii.

a3 *in ms.* permare
b) *supra lineam.*
c) *correctum ex*: festivitate
1) *Bona.*
2) *Sigismundus Augustus.*
3 *Hedvigis.*
4) *Dorothea.*
5) *Anna Sophia.*

N. 509.

*E Regio Monte, 8.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, litteras ad regem mittit et rogat, ut eas seorsim regi porrigat,* «ne in alienas manus perveniant».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 12-13.*

N. 510.

*E Regio Monte, 8.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*de re monetaria; de uxore Decii ad se invitanda; de vino sibi misso grate accepto; de sale nitro sibi coemendo; de novis gratias agit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 74v-76.*

An Jobst Ludwigen den 8 Januarii*.

Wir haben dein schreiben, des datum den 31 tag Januari zu Thornn, on hewt entpfangen und lesende angehort, und nachdem du erstlichen vormelden thust, welcher gestalt zu Thornn mit nemen der cleinen und grossen m. gebart, auch was durch die kaufleut, die vom adeln und ander derhalben vor argument vorgefallen und bewogen, darneben was deine bedencken hierinne gewest, darauf geben wir dir gnediger meynung zu verstehen, das wir woll leiden kondten, das solhe argument bedencken und bewegen, zuvor und ehr die newe muntz bewilligt, angenommen, verrecest, geschlagen und ausgangen, gescheen und ergangen weren. Dieweil aber solhs nit gescheen und erst yetz, so wir und unser undterthan derhalben ein mercklichen nachteil erduldet, bedacht wirt, wissen wir nuhmals in keinen wege wider die aufgerichten vertrege und recess, unangesehen aller vormelten argument, zu bewilligen. Wollen derhalben mit gnaden an dich begert haben, du wollest ko.mt. zu Polnn etc. solhs ze thun nicht vorschlagen noch einbilden. Dann wo solhs gescheen, wurden wir vorursacht, yr ko.mt. auch was wir wusten und unser nodturft zu vormelden. Und obwol gleich Danntzke und Thorn sambt andern etc. solhen entgegen handeln und sich seltzam vornemen lassen, achten wir doch, es soll derhalben nit gut sein inen ires willens einzureumen. Dann so[a] solhs bescheen, wurd ko. mt. daraus erfolgen, furdhin in andern vheln auch wenig gehorsams von in zu gewarten. Wollen derhalben zu ko.mt. verhoffen. Welchs wir an dich gnediglich begeren, du bey ir mt. verfurdern und anhalten helffen wollest, das die ungehorsamen mit geburlicher straff zum gehorsam gehalten werden mochten. Dann wir bey uns in solher eyll nicht entschliessen konnen, das solhe vorenderung und zulass der geringen marg an mercklich und entlich vorderb unser undterthan und one widderwillen nit gescheen khan, des wir ye nit geren sehen. Wollen aber nichsdestweniger uns mit unserm freundt von Helsbergk[1] und andern, die solhs mitbelangt, undterreden, damit mit reiffen, bedechtigen rhat entschlossen werden moge, was forter vorzunemen.

Das du die groschen und silbermuntz so weit bekannt gemacht und zu furderung des gesindes hinweggefurt, ist uns gefellig und nit

entgegen. Das aber allein schilling und pfennig alhie ins volgk mit dem wechsell gedrungen und kein silbergeldt, ist uns und unsern undterthan beschwerlich, und obwoll dir angezeigt, wie die lewt lieber schilling wann silbergeldt nemen, wissen wir das widerspill, dann wir gleublich bericht, das vyl gern silbergeldt gewechselt. Mann het in aber dieselben nit geben wollen, sonder geentwurt, schilling und pfennig weren auch unser muntz. Wiewol wirs davor achten, das solhs nit aus deinem bevelch, sonder deins abwesens durch deine vorwalter gescheen sein, dieweil aber nu das land mit schilling und pfennig erfult, ist deiner zusage nach, so du uns und unsern rethen der stadt alhie gethan, unser gnedigs gesynnen, du wollest furhin groschen und silbermuntz schlagen und mit schilling und pfennig zu schlagen aufhören, damit nicht allein kupfer, sonder auch gut geldt undter das volgk gebracht werden moge. Und tragen auch ab dem, das du die goldtplaten alhier zu vererbeiten beschickt, ein gnedigs gefallen, dann uns dieselben, wie sie gemuntzt sein, nit ubell gefallen.

Was unsern hausfogt belangt, haben wir dich zuvor beantwort, dabey wirs auf dis pass beruhen lassen.

Wo es die gelegenheit zugetragen, wer uns sondern gefallen gereicht, das dein hausfraw alhie erschienen were.

Das du uns den gesandten sussen wein, so uns Eychler zu dannck bestelt, zugeschickt hast, gereicht uns zu sonderlichen gefallen.

Dem von Haydeck haben wir seine brief zugefertigt.

Das du uns den salpeter sieder bestalt, gereicht uns auch zu sonderlichen gefallen und ist unser gnedigs begeren, du wollest uns denselben, aufs erst ehr ankompt, zuschicken. Nichsweniger gefelt uns die prob von dem salpeter, so du uns zugeschickt. Und ist unser gnedigs beger, du wollest ye nit undterlassen, uns die anzall salpeter, wie wir mit dir verlassen, aufs furderlichst zu bestellen.

Bedancken uns auch deiner zugeschickten zeitung und wissen dir nit zu vorhalten, das wir der ewangelischen gar nicht zu forchten wissen. Und ist unser gar gnedigs begeren, du wollest uns oft gezeitung zuzeschigken nit undterlassen und in sonder, ob auch ko.mt. von Polnn freundt nacion von kriesgsvolgk, waser nacion zu fuss und ross, auch wievil ir mt. der gebrauchen wolt, sovill dir des wissendt, vorstendigen. Daran thustu uns sonders gefallen in gnaden gegen dir zu beschulden. Datum Konigspergk ut supra.

a) *supra lineam.*
1) *Mauritius Ferber, ep. Varmiensis.*
*) *evidens error pro*: Februarii

*N. 511.*

*E Regio Monte, 8.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Aychler, civi Cracoviensi,*
*pro coemptis sibi duobus doliis vini apiani Veneti et uno dolio vini Rhenensis et apud I. L. Decium depositis gratias agit; telas aliasque merces sibi procurari petit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLV, N. 8.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 74.*

N. 512.

E Regio Monte, 17.II.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Theodorico de Reden, procuratori suo Romae,*
*de verbis* « de consensu », *quae* « in ipsa donatione domus » *omitti non possunt et de supplicibus libellis hac de re ad pontificem et oratorem imperatoris missis; de praebenda et canonicatu Varmiensi ei concedendis; de salario ei misso.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 13-14.*

De verbo de consensu. De literis supplicatoriis. De canonicatu Warmiensi. Scripsisse Fucherum. Indicat, quid faciendum etc.

S[alutatio]

Legimus tuas literas, quibus nobis significas fieri haud potuisse, ut haec verba: de consensu, in ipsa donatione domus obmitterentur, utcunque Reverendissimus Dominus Cardinalis Sanctorum Quattuor[1], amicus noster singularis, eo nomine omnem moverit lapidem. Praeterea accepimus exemplaria duorum supplicum libellorum, unum ad Summum Pontificem[2], alterum[a] ad Caesareae Maiestatis[3] orathorem, si forte hac ratione fieri queat, ut eiusmodi verba obmittantur. Cuius rei gratia conferemus cum Illustrissimo Principe Domino Guilhelmo Marchione etc., fratre nostro germano, atque de rebus aliis, quarum tu in tuis literis mentionem facis.

Quod ad praebendam et canonicatum in ecclesia Vuarmiensi adtinet, scripsimus ea de re amico et vicino nostro Episcopo Vuarmiensi[4], nihil dubitantes, quin fieri queat, ut tu compos[b] eius voti efficiaris.

Praeterea scripsit nobis nobilis Antonius Fucher ex Augusta Vindelicorum daturum se operam, ut per fidelem aliquem instrumenta nostra transportentur. Quarum literarum exemplar tibi transmittimus, hoc a te exigentes, ut diligenter prospicias, an ei[c], cui haec provintia demandabitur, sit eiusmodi fidei, cui tuto tales res credi debeant. Quod si modicae fidei videbis, respondebis homini nihil te amplius earum rerum penes te habere. Salarium tuum tibi transmitti iussimus, tuam autem diligentiam laudamus atque admonemus, ut id, quod facis, facias diligenter atque sedulo. Vale. Datae XVII Februarii.

*In initio epistolae in margine:* Theodorico de Rheden, procuratori Principis Romae, XVII Februarii.

a) *supra lineam.*
b) *verbum correctum.*
c) *error pro:* is
1) *Laurentius Pucci.*
2) *Clemens VII.*
3) *Carolus V.*
4) *Mauritius Ferber.*

## N. 513.

*E Regio Monte, 22.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, latorem litterarum, subditum suum Melchiorem Libenauer, civem Soldaviensem, commendat et rogat, ut causam eius Ioanni Tarnowski, sub cuius iurisdictione sunt bona sua hereditaria, commendet, ut eadem bona sine impedimento nancisci possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 14.*

## N. 514.

*E Regio Monte, 24.II.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Schap (Żaba?)*
*pro Paulo Miltisch (vel Milisch), thesaurario suo, et Ioanne Feierabent, qui ius laborandi* « in sylva Kersmymelissensi et Rosseynissensi » *a rege concessum habent, ut et posthac eo iure uti possint.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 15.*

## N. 515.

*E Regio Monte, 1.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tarnowski, palatino Russiae, exercituum R.P. generali capitaneo, commendat causam Melchioris Libenauer ex Soldavia, qui* « petit divisionem hereditatis bonorum paternorum in Sandomiria ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 15-16.*

## N. 516.

*E Regio Monte, 1.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*Felicem ab Allen (Alten) in quibusdam negotiis ad eum mittit et rogat, ut ei in omnibus fidem habeat,*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 17.*

## N. 517.

*E Regio Monte, 1.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Plocensi [Andreae Krzycki]*
*intercedit pro Melchiore Libenauer, cive Soldaviensi, qui* « nomine coniugis suae, perinde quasi proximioris heredis » *habet* « ius officii scultetiae sub ditione Reverendissimae Paternitatis Vestrae ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 16.*

## N. 518.

*E Regio Monte, 1.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*castellano Plocensi [Ioanni Wieczwiński]*
*pro Melchiore Libenauer, cive Soldaviensi, cui ante aliquot annos castellanus* « aliquot lupos pisces occupavit, quorum ipse esset dominus » *intercedit et rogat, ut ei praestet, quod iure praestare debet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 17.*

## N. 519.

*E Regio Monte, 1.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*regiis praefectis telonei Caunensis*
*litterae credentiales pro Felice ab Allen (Alten).*

*(Sub textu:* Pari modo scriptum est Stanislao Schap et Urbano Kessaw Rutheno, mutatis mutandis).

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 18.*

## N. 520.

*E Regio Monte, 2.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*rogat, ut per Felicem ab Allen (Alten) indicet sibi diem regundorum finium.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 18.*

N. 521.

E Regio Monte, 7.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo generali,*
*litterarum latorem, Nicolaum a Minckwitz (Mingkwitz), commendat et petit, ut tuto et secure per ditionem eius iter facere queat,* « ne quid forte detrimenti cum suis patiatur »; « equum castanei coloris, einen brawnen hengst » *coniugi suae* « certo pretio » *ab eo acquirere desiderat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 227.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 18-19.*

N. 522.

E Regio Monte, 7.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae a Górka*
*Nicolaum Minckwitz (Mingkwitz) commendat et rogat, ut eum patri suo [Lucae a Górka] etiam commendet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 19.*

N. 523.

E Regio Monte, 11.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Friderico et Balthasari Schmaltz*
*iterum rogat, ut debita sua in exteris regionibus contracta sine mora nomine suo restitui curent.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42 ff. 76-76v.*

N. 524.

E Regio Monte, 13.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*regi et reginae una cum uxore sua gratias agit, quod phrygionem hactenus apud se manere permiserunt, et supplicat, ut eidem phrygioni perpetuum salarium a rege promittatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49 ff. 21-22.*

N. 525.

E Regio Monte, 13.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro salutationibus per Nicolaum Nibschitz sibi allatis gratias agit; de Gedanensibus in re monetaria regi non obtemperantibus queritur; rogat, ut rex subditis suis in Masovia interdicat, ne nova et insueta telonea a subditis suis exigant.*

*(Schedula)*

*Cfr. El. XXX, N. 68.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 27-30.*

Agit gratias pro salutatione. Commendat caussam monetariam. Indicat peti in Mazovia nova thelonia etc.

Serenissime Rex, Domine Clementissime, animum inserviendi promptissimum offero Regiae Vestrae Maiestati.

Accepi non in multis diebus ternas a Maiestate Vestra Regia literas. Primum vero omnium ago Sacrae Regiae Vestrae Maiestati magnas gratias, quod tam clementer ac pie dignata est parvitatem meam per nobilem aulicum Regiae Vestrae Maiestatis, Nicolaum Nipschitz, salutare, quodque eundem ad me misit. Praeterea quod Regia Vestra Maiestas pollicetur omnem operam summis Regni viribus insumpturam, ut ab omni hostium incursu et fraude post Deum Optimum Maximum cum subditis sim tutus. Deinde quod ad Gedanenses atque marcae aestimationem adtinet, rogo suppliciter, Regia Vestra Maiestas pro innata prudentia diligenter dispitiat, quantum absurditatis et periculi hic Gedanensium sinister conatus Regno Poloniae ac provintiae Borussiae sit pariturus, cum alioqui habeat haec terra duas marcas, magnam quadraginta grossorum et parvam viginti. Quod si haec marca, quae quindecim grossis aestimetur, accesserit, nihil video aliud futurum, nisi ut omnium rerum confusio atque, quod Christus servator avertat, a plebe pestilens aliqua seditio tandem oriatur, quandoquidem fieri non[a] potest, quin omnes veteres literae et diplomata, vel saltem maior pars, immutari atque innovari debeant. Id quam probe publicae paci et tranquillitati conveniat, Regia Vestra Maiestas pro innata prudentia atque magno iam rerum usu sine negocio prospicit. Siquidem hoc accidit, ut opifices et agricolae, quibus singulatim quindecim grossos pro marca accipiant et viginti persolvant, atque soli mercatores totius et Regni et provintiae dispendio ditentur. Proinde supplex rogo, Regia Vestra Maiestas mandet, ut in futuro conventu Spiritus Sancti invocata gratia non solum mercatorum, sed et reliquorum subditorum, praesertim vero agricolarum utilitati et commodo prospitiatur. Interim vero moneta mea non aliter in Polonia et Mazovia accipiatur, quam in hac mea provintia. Id tamen quod subditi Regiae Vestrae Maiestatis in Mazovia ammodo detrectarunt.

Ad haec notum facio Sacrae Regiae Vestrae Maiestati publicanos et vectigales Mazoviae, praesertim vero in Lumbsen[1], exigere thelonia nova et insueta. Quo fit, ut subditi mei, maxime capitanei et[b] officiales,mirum in modum graventur. Quare suppliciter quaeso, Regia

Vestra Maiestas dignetur subditis suis interdicere, quominus aliquid moliantur, quod et cum veteri consuetudine et cum aequitate pugnet. Neque enim sum nescius Sacram Regiam Vestram Maiestatem nihil iniqui praecipere. Insuper quod Regia Vestra Maiestas scribit non satis in tempore atque serius admonuisse me Regiam Vestram Maiestatem, fieri non potuit, ut citius id agerem, quandoquidem serius eius rei certior factus sum. Intelliget autem Regia Vestra Maiestas tenue illud meum consilium ex Nipschitz atque sine controversia sic temperabit negocium, ut neque Regiam Vestram Maiestatem, neque me eius admonitionis tandem peniteat.

Postremo supplico Regiae Vestrae Maiestati, ut dignetur hoc anno indicare et statuere diem finibus inter Mazoviam et Borussiam, sequenti vero anno inter Lithuaniam et Samogithiam regundis atque terminandis. Sacram Regiam Vestram Maiestatem una cum Serenissimis Domina consorte Regina[2], Domino filio Rege electo[3] et Dominis liberis electis, Dominis nostris clementissimis, ego cum consorte[4] et filiola[5] in Christo Iesu bene valere exopto. Datae ut supra.

Schedula

Mittit literas foederis Rutheni et Livoniensis et tria exemplaria Regis Danorum.

Serenissime Rex, mitto Sacrae Regiae Vestrae Maiestati exemplar literarum foederis inter magnum Imperatorem Russiae[6] atque proceres sive Dominos Livoniae, ut intelligat Regia Vestra Maiestas, quid isti homines moliantur. Praeterea mitto Regiae Vestrae Maiestati exemplaria tria, quae mensibus abhinc aliquot inter Serenissimum Regem Fridericum Danorum etc., socerum meum pientissimum, tum literis, tum etiam eius Regiae Dignitatis orathore, Neidenburg peracta sunt. Datae ut in literis.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, ut supra.

a) *sequitur expunctum:* non
b) *sequitur expunctum:* vectigales
1) *Łomża, opp. in Masovia.*
2) *Bona.*
3) *Sigismundus Augustus.*
4) *Dorothea.*
5) *Anna Sophia.*
6) *Basilius III Ioannides.*

*N. 526.*

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*supplicat regi, ut* «iuvenem Nicolaum Radislavsky, palatinum Plocensem [*filium Andreae Radziejowski, palatini Plocensis?*], cum sex aut quinque equis in aulam regiam recipere *velit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 31-32.*

N. 527.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*pro animo in se benevolo gratias agit; explicat,* cur « vituperonum linguas livoris cote acuminatas » *metuat.*

*Cfr. El. XXX, N. 67.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 22-23.*

Agit gratias ob clementem animum et explicat, cur vituperones formidet.

Serenissima Regina, Domina Clementissima.

Animum inserviendi promptissimum.

Intellexi ex literis Maiestatis Vestrae iuxta ac relatione nobilis Nicolai Nipschitz pium ac clementem Maiestatis Vestrae Regiae erga meam parvitatem animum. Quo nomine Maiestati Vestrae Regiae magnas gratias ago, daturus pro mea mediocritate operam, ut aliquado etiam referam. Quod vero vituperonum linguas livoris cote acuminatas, ut ille ait, male formido, non ideo fit, quia de Regiae Vestrae Maiestatis prudentia atque integritate diffidam, sed quia ea est humanae malitiae natura, ut non cesset omnem movere lapidem, quoadusque optimum etiam quemque fallat. Atque multo tutius esse puto in tempore occurrere, quam post lapsum auxilium quaerere, commendans Regiae Vestrae Maiestati Serenissimae meam parvitatem diligenter atque sedulo. Insuper quoque Serenissimis Regibus, Dominis meis clementissimis, atque Dominae filiae. Quorum omnium Sacras Regias ac Reginales Maiestates Serenissimas in Christo Iesu bene valere percupio et opto. Datae e Regio Monte, ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Reginae Poloniae, ut supra.

N. 528.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*precatur, ut matrimonium inter filiam castellani* [*Sophiam*] *et Ioannem Tarnowski initum* « sit firmum, stabile atque unanime »; *causam monetariam sic apud regem promoveri petit,* « ut Gedanenses prohibeantur duabus aestimationibus marcae: unius quadraginta, alterius viginti grossorum ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 218.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 26-27.*

## N. 529.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi,*
*causam monetariam contra Gedanensium ea in re inobedientiam commendat.*

*Cfr. El. XXXV, N. 225.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 23-24.*

Cur miserit munera. Et caussam monetariam commendat.

Obsequia nostra amica et quicquid boni praestare possumus.

Reverendissime in Christo Pater, Amice ac Frater nobis dilectissime.

Accepimus literas Reverendissimae Vestrae Paternitatis, quibus nobis pro munusculo gratias agit. Neque vero tam magnum est hoc[a] munus, neque tam immerens Reverendissima Vestra Paternitas erga nos, ut debeat hac in re esse tam officiosa. Et accedit, quod nihil aliud voluimus praestare, quam qualem qualem animi nostri erga Reverendissimam Vestram Paternitatem significationem exhibere. Proinde nihil est, quod Reverendissima Vestra Paternitas sit sollicita. Imo hoc agat, cum denuo ad nos scribat, ut superbum illum Dominationis titulum praetermittat, sed nos non aliter quam fratrem suum maxima necessitudine coniunctum interpellet. Id quod nos vicissim pro nostra virili imitabimur.

Commendamus vero Paternitati Reverendissimae Vestrae caussam monetariam, ut dignetur hoc agere, ne Gedanenses perpetuo tandem Regiae Maiestati inobedientes inveniantur atque sua promiscua aestimatione marcae universam Rempublicam et publicam pacem et Regni Poloniae et provintiae Borussiae interturbent. Quorsum enim adtinet propter viginti aut triginta mercatores tot milia subditorum ad summam egestatem perduci? Bene valeat Paternitas Vestra Reverendissima. Datae e Regio Monte, ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Domino Petro Episcopo Cracoviensi, ut supra.

a) *sequitur expunctum:* beneficium

## N. 530.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Severino Boner, burgrabio, procuratori magno et zuppario Cracoviensi, pro officiis exhibitis et pro cura ac diligentia* « in negotio commisso... emendae muscatellae » *gratias agit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 226.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 19-20.*

## *N. 531.*

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Vilnensi [Ioanni e ducibus Lithuaniae]*
*litteras eius sibi a Nicolao Nibschitz traditas esse nuntiat et paratam commodandi voluntatem offert.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 20-21.*

## *N. 532.*

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*pro salutatione per Nicolaum Nibschitz sibi suo nomine facta gratias agit; promittit operam in instituendo et educando nepote,* « ut indies non solum annis, sed et virtutibus fiat grandior ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 224.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 24-25.*

## *N. 533.*

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Paulo Płotowski, canonico Varmiensi, Christophori Szydłowiecki secretario,*
*pro cura et diligentia in transmittendis litteris gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 20.*

## *N. 534.*

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Martino Zborowski, pincernae regio,*
*equum petenti respondet nunc fieri non posse, ut ei satisfaciat, sed operam se esse daturum significat, ut id propediem fiat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 24.*

N. 535.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Zachariae Italicio (Włoszek, in ms.* Lulosseheck), *secretario Christophori Szydłowiecki,*
*sedulitatem eius laudat et hortatur, ut et in posterum idem praestet, nam* « vehementer desyderamus quotidie de rebus Serenissimorum Regum, Dominorum nostrorum clementissimorum, atque Illustrissimi Domini fratris nostri charissimi [*Christophori Szydłowiecki*] certiores fieri ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 21.*

N. 536.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*rogat, ut Nicolao Nibschitz, cui quaedam negotia ei communicanda commisit, plenam fidem praestet et ipsa negotia promoveat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 25.*

N. 537.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Wolski, reginae Bonae curiae magistro,*
*pro litteris, humanitatis et officii plenis, gratias agit et rogat, ut eum reginae commendet.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 221.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 26.*

N. 538.

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae medico [de Valentinis?]*
*pro diligentia in rebus suis apud regem promovendis gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 26.*

*N. 539.*

*E Regio Monte, 13.III.1531.*

*Dorothea dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*pro litteris et salutationibus per Nicolaum Nibschitz sibi allatis gratias agit;* « ancillarem voluntatem » *suam offert et se commendat.*
*(Schedula: litterae credentiales pro Nicolao Nibschitz).*
*(Sub textu:* Pari modo ad Schidlovitz mutatis mutandis).

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 43, ff. 30-31.*

*N. 540.*

*E Regio Monte, 14.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tarnowski, palatino Russiae, exercituum R.P. capitaneo generali, excusat se, cur nova non significet* (« quia haec omnia prius in regiam aulam quam ad nos veniunt, nihil aliud... agerem, quam ut noctuas Athenas transportarem »); *precatur, ut connubium cum filia Christophori Szydłowiecki* [*Sophia*] *initum sit faustum et felix.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 32-33.*

*N. 541.*

*E Regio Monte, 14.III.1531*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario, de litterarum raritate se excusat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 33-34.*

*N. 542.*

*E Regio Monte, 15.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Aychler (Eychler), civi Cracoviensi,*
« zambloth » *albi coloris sibi emi et mitti petit; aurum, argentum et serica ab Aychler proposita sibi nimis cara videri significat.*

*Cfr. El. XLV, N. 12.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 76v-77v.*

An Hansen Eychlern, burgern zu Crakaw, den 15 Marcii.
Unsern grus zuvor.
Ersamer, lieber, besonder.

Wir haben euer schreiben mit zuschigkung der zehen stuck weissen zamlotzs horen lesen und entpfangen. Und nachdem der schamloth an der farb seher gelblich und nicht recht weyss, als ubersenden wir

euch hiemit widder bey Nipschitzen dieselben zehen stuck sambloth mit gnedigem begeren, ir wollet zu Preslaw und ander orth vleis vorwenden, das yr ein achzehen stuck zambloths guter, weisser farb, bekommen und uns dieselben zufertigen mogt.

Der gantze weisse zambloth, der von vortheil cleine und schoner farb sein soll, dunct uns umb das geldt, wie iren anschlacht, zu teuer sein, mochten ynen aber gern sehen. Derhalben wollet uns den nechsten kauf desselben zuschreiben und in zu besehen zuschicken. Alsdann soll euch unsers gemuts meynung darauf unentdeckt auch nicht pleiben.

Des gelts, darumb yr uns geschrieben und wir euch zu thun pflichtig, seit yr unsers vorsehens numehr von Jobstenn Ludwigenn bezalt, dan ehr uns itzt bei Nipschitzen geschrieben, das ehr euch des geldts zu guther genuge entricht habe. Was aber das restat, das wir euch noch hinderstellig schuldig sein sollen, anlangt, wollen wir euch, wann yr uns die zambleth und anders uberschigken thut, auch zu danck uberreichen und erlegen lassen.

Das gold und silber, dessgleichen die seiden, schlacht ir uns in euerm schreiben zu hoch an, dann wir eigentlich erfaen, wie solhs sonst zu Crakaw[a] im kauf und gekauft wirdt, als nemblich, das untzen gold und silber wirt zu Crakaw gekauft das pfundt vor XXVl fl., so acht yrs vor XXVIII fl. Das zegen gold und silber vor XXIIII gulden, euers fur XXVII fl. Die fliedt seiden vor IIII fl., euere vor V fl., bieth yrs fur V gulden; derhalben wollet in dem mit uns die gleicheit auch halten und nicht staigern. Das wollen wir uns zu euch zu gescheen vorsehen, und yr thut zu der billigkait uns zu gefallen, in gnaden widderumb zu erkennen. Datum Konigspergk ut supra.

a) *sequitur expunctum:* ge

*N. 543.*

*E Regio Monte, 25.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao fratri Valdensi*
*facit potestatem commigrandi in Prussiam.*

*Ostpr. Fol, vol. 49, f. 34.*

Significatum est nobis te una cum fratribus tuis Waldensibus cupere atque desyderare in provintiam atque ditionem nostram commigrare in eaque degere, si modo hoc ipsum nos pati ac concedere vellemus. Ad haec significamus tibi nos lubens hoc tuum propositum audivisse nosque omni favore in provintia et ditione nostra, in qua magna habitationum copia est, te omnesque fratres tuos, tum ex Bohemia, tum ex Moravia, prosequi ac pati velle, si modo te talem cum fratribus tuis praebaes, qualem subditum[a] decet[b]. Haec ex singulari gratia te latere noluimus. Datum XXV Martii 31.

*In initio epistolae in margine:* Nicolao fratri Waldensi, XXV Martii.

a) *sequitur verbum expunctum.*
b) *sequitur expunctum:* subditos

N. 544.

*E Regio Monte, 30.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*poenale mandatum, ab imperatore contra se latum, sibi allatum esse nuntiat et rogat, ut Nibschitz una cum Hermanno a Landwust id regi porrigant.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 77v-78.*

Wir geben dir zu erkennen, das jungst den XX tag Marcii uns ein kayserlicher bothe ein penalmandat zubracht und behendiget, wie wir dir solhs zu erzeigen bevolhen etc. Dardurch wir vorursacht, ko.mt. zu Polan etc., als unsern lehenherren, zu besuchen und yrer mt. rath darinne zu haben, und zu solhem koniglichem besuchen haben wir dich neben unserm obirstem secretari und lieben getrewen Hermanno von Lanndtwuest zu gebrauchen bedacht, wie wir ynen auch mit aller undterricht in dieser sachen an dich abgefertiget. Wir haben auch demselbigen unserm secretario die copey des mandats, unsere instruction der und auch anderer sachen halb mittegegeben[z]. Der dir solhes alles nach der lenge bericht thun und vorlegen wirdet. Und ist darauf an dich unser gnedigs begeren, du wollest dich nit beschweren und neben demselbigen unserm secretario die sachen an ko.mt. durch dich antragn und helffen fordern, damitte uns in dieser sachen getreulich geraten und das wir guthe antwort bekommen und unser secretari widderumb uffs forderlichste abgefertigt werde. Daran thustu uns zu besondern wolgefallen und wir wollen es in allen gnaden umb dich zu beschulden unvergessen halten. Geben zu Konigspergk ut supra.

z) *sic in ms.*

N. 545.

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*Nicolaum Nibschitz, aulicum regium, et Hermannum a Landwust (Landtwust), secretarium suum,* « cum quibusdam seriis ac gravibus negotiis » *eis demandatis mittit et rogat, ut eis benignas aures praebeat et in omnibus fidem habeat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 34-35.*

N. 546.

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*litterae fidei pro oratoribus suis ad regem missis, Nicolao Nibschitz et Hermanno a Landwust (Landtwust).*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 35-36.*

*N. 347.*

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*nobilem Venceslaum Skrzydłowski (in ms.* Krszidlowsky), *ab Ioanne episcopo Vilnensi, Andrea Tęczyński palatino Cracoviensi et Nicolao Szydłowiecki R.P. thesaurario sibi commendatum, in aulam suam se recipere non posse nuntiat* (« cum nobis tam frequens sit aula..., ut etiam nostratium aliquot dimittere cogamur ») *et rogat, ut eum reginae commendet,* « quo assignetur ei servitium apud Serenissimam Reginalem Maiestatem ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, NN. 219 et 220.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 36-37.*

*N. 548.*

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*legatos suos, Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust, quibus* « graves quasdam caussas et satis magna et ardua negotia » *ad regem perferenda et referenda demandavit, commendat et rogat, ut eis in omnibus fidem det et adsit, quo citius audiantur et dimittantur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 37-38.*

*N. 549.*

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario,*
*oratores suos ad regem missos, Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 38.*

*N. 550.*

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi, R.P. vicecancellario,*
*oratores suos ad regem, Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust, commendat, ut eos* « promovere, eisdem adesse ac praesse » *velit, quo negotia* « commodius ac expeditius expediantur et legati citius ad nos, accepto clemente a Regia Maiestate responso, redeant ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 39-40.*

N. 551.

E Regio Monte, 31.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tarnowski, palatino Russiae, exercituum R.P. capitaneo generali,*
*legatos suos ad regem missos [Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust] commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 40.*

N. 552.

E Regio Monte, 31.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*oratores suos ad regem missos, Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust, commendat et rogat, ut causam eis concreditam promoveat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 231.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 41-42.*

N. 553.

E Regio Monte, 31.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*legatos suos ad regem missos [Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust] commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 40-41.*

N. 554.

E Regio Monte, 31.III.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tęczyński, succamerario Cracoviensi,*
*oratores suos ad regem missos, Nicolaum Nibschitz et Hermannum a Landwust, commendat et rogat, ut negotium eis demandatum promovere studeat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 42-43.*

*N. 555.*

*E Regio Monte, 31.III.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bartholomaeo Nowomiejski, exactori terrae Ravensis,*
*pro emenda sibi siligine gratias agit et rogat, ut eam Gedanum per Vistulam mittat, ubi iam* « naves exspectant, ut recipiant ac avehant ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, NN. 222, 223, 229, 232.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 43.*

*N. 556.*

*E Regio Monte, 2.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bartholomaeo Nowomiejski, exactori terrae Ravensis,*
*de frumento ad usum regis Danorum coempto et Gedanum misso.*

*Cfr. El. XXXV, N. 232.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 43-44.*

De frumento Gedanum misso.
S[alutatio]
Certiores facti sumus emisse vos centum lastas siliginis atque eas Gedanum ad Simonem Tresler transmisisse. Insuper vos quoque eo ea gratia profectos esse. Nos vero volumus vobis significare eiusmodi frumentum emi nos curasse Serenissimo Regi, Principi Potentissimo Domino Fridericho Regi Danorum etc., socero nostro et patri pientissimo. Proinde rogamus vos, primum ut praefati Regis ad eam rem misso legato hoc frumentum avehendum tradatis, neque gravemini, si forte praesentem pecuniam non habeat, quandoquidem scimus numeratam pecuniam iam advehi. Deinde si plus frumenti legatus desyderet, eadem aestimatione queat[a] emere. Si quid erit, quod in rem vestram faciat, nos dabimus operam, ut vobis vicissim clementer commodemus. Porro mandavimus legato nostro, quem iam ad Regiam Maiestatem Poloniae etc., Dominum nostrum clementissimum et avunculum charissimum, misimus, ut inter reliqua vestram absentiam diligenter excuset. Datae 2 Aprilis.

*In initio epistolae in margine:* Ad eundem 2 Aprilis.

a) *sequitur expunctum:* queat

*N. 557.*

*E Regio Monte, 3.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Basilio Czyż (in ms. Wastzky Czysz), equisoni M.D.L.,*
*pro duabus avibus aucupatoriis dono missis gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 44.*

## *N. 558.*

*E Regio Monte, 13.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, pro Wolfgango, castellano in Culno (sic in ms., forsitan error pro: castellanide vel capitaneo in Colno?), ut inter servitores regios numerari possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 44-45*

## *N. 559.*

*E Regio Monte, 13.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario, pro Wolfgango, « castellano in Colno ».*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 45-46.*

## *N. 560.*

*E Regio Monte, 19.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, mittit litteras regis Daniae [Friderici I] et rogat, ut eas regi Poloniae porrigat; petit praeterea, ut secretario et oratori suo, Hermanno a Landwust, si adhuc est Cracoviae, adsit et prosit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 46.*

## *N. 561.*

*E Regio Monte, 27.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, litterarum exhibitorem, Martinum Bosznack, Hungarum, commendat et rogat, ut studeat, quo in aulam regiam recipiatur et in albo servitorum regis numeretur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 47.*

## *N. 562.*

*E Regio Monte, 30.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro Andrea Debyensky (Dybieński?), aulico suo, intercedit, cui post mortem patris patruus relicta a patre et ad eum pertinentia bona vi occupare et auferre conatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 48.*

## *N. 563.*

*E Regio Monte, 30.IV.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino, et Ioanni Tęczyński, succamerario Cracoviensibus,*
*pro Andrea Debyensky, cui patruus eius relicta a defuncto patre bona occupare et vi ad se trahere conatur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 48-49.*

## *N. 564.*

*E Regio Monte, 1.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*Dimyn Blusky, qui ei causam suam ipse coram exponet, commendat, ut* « facilius et levioribus sumptibus ei iustitia administretur ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 50.*

## *N. 565.*

*E Regio Monte, 2.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Niszczycki, palatino Plocensi,*
*de coemptis sibi centum lastis frumenti et de eius pretiis.*

*Cfr. El. XXXV, N. 241.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 50-52.*

De coempto frumento.

S. Nobilis et Generose.

Accepimus secunda die Maii Dominationis Vestrae literas, quibus eadem significat emisse se nostro nomine centum lastas frumenti siliginis easque Gedanum mox missuram[a], lastam unam pro octo[b] sexagenis monetae et numeri Polonici, sicque convenisse ac pepigisse nos-

tro nomine cum Dominatione Vestra Capitaneum nostrum in Soldaw[1]. Nos vero nolumus Dominationem Vestram latere nobis nondum e memoria excidisse, nos scripsisse ac mandasse Capitaneo nostro, ut procuret nobis coemi centum lastas frumenti siliginis idque frumentum Gedanum mitti: lastam unam pro sedecim aureis Rhenanis, computando aureum pro XXX grossis sive Polonicis sive Bruthenicis, cum idem utrique valeant atque eiusdem sint aestimationis, grossum vero pro tribus solidis, cum neque Polonicus neque Bruthenicus grossus plus tribus solidis valeat, neque aliter grossus[c] Bruthenicus in Polonia et Mazovia debeat recipi atque in Borussia, iuxta regium mandatum.

Proinde si Dominationi Vestrae placuerit, aut si potest, ea qua diximus aestimatione coemptum frumentum revendere, videlicet lastam pro XVI aureis Rhenanis computato aureo pro XXX grossis, grossum pro tribus solidis, recipiet nostro nomine, cum magna gratiarum actione, Gedani Eberhardus Rogk, civis Gedanensis, et satisfaciet et solvet Dominationi Vestrae id frumentum grossis Bruthenicis, qui tantum valent, quantum Polonici grossi. Sin grossos Bruthenicos recipere non vult, poterit Dominatio Vestra id frumentum pro commodo suo, cui voluerit, addicare atque distrahere. Haec necessaria indicanda atque Dominationi Vestrae respondenda duximus. Cui si vicissim commodare poterimus, dabimus operam, ut[d] maiorem gratiam referamus. Quam bene valere cupimus. Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Andreae de Niskiar, Palatino Plocensi, 2 Maii.

a) *in ms.* missuras
b) *in margine.*
c) *sequitur expunctum*: Polonicus
d) *sequitur expunctum*: Dominationi Vestrae
1) *Melchior Rechenberg.*

## *N. 566.*

*E Regio Monte, 2.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bartholomaeo Nowomiejski (in ms.* Novomestzky), *exactori terrae Ravensis,*
*pro diligentia et opera in coemendo sibi frumento adhibita gratias agit; de eo, quod Gedani* « in solvendo frumentum obtigerit », *se excusat, nam id factum est se inscio et invito.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, NN. 222, 223, 229, 232.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 52.*

## *N. 567.*

*E Regio Monte, 4.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Anastasio, canonico Vilnensi,*
*pro benevolentia Felici ab Allen (Alten), in negotio Ioannis Feierabent ad eum misso, exhibita gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 53-54.*

N. 568.

*E Regio Monte, 4.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Schap*
*pro benevolentia servitori suo, Felici ab Allen (Alten), in negotio Ioannis Feierabent ad eum misso, exhibita gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 53.*

N. 569.

*E Regio Monte, 14.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro benevolo responso regio, sibi per secretarium suum, Hermannum a Landwust, allato gratias agit et rogat, ut rex quanto citius nuntium suum cum poenali mandato mittat.*

*Cfr. El. XXX, N. 72.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 54-55.*

Agit gratias ob clemens responsum. Rogat, ut mittatur mandatum poenale.

Si qua sunt obsequia, quae subditus Princeps Regi suo iure debet, ea omnia Regiae Vestrae Maiestati, uti Domino meo clementissimo[a], supplex offero, quam sanam atque salvam cupio.

Serenissime Rex, Domine clementissime.

Reversus est ad me Hermannus a Lantwust, secretarius meus, quem nuper cum poenali Caesareae Maiestatis[1] mandato ad Regiam Vestram Maiestatem legavi. Is retulit mihi Regiae Vestrae Maiestatis clementem responsionem, pollicitationes atque solatia promissa. Deinde quod Regia Vestra Maiestas eum clementer regio dono donavit. Quas ob res Regiae Vestrae Maiestati suppliciter gratias ago atque humiliter rogo, ut Regia Vestra Maiestas pro regia sua clementia operam det, ut nunctius Vestrae Maiestatis[b] citius ac maturius ad me cum poenali Regiae Vestrae Maiestatis mandato expediatur ac mittatur, quo in tempore meam exceptionem iuxta Regiae Vestrae Maiestatis consilium et iussum possim parare atque eam mitti in Caesareae Maiestatis iudicium Camerae procurare. Quod ego indefessa subditorum meorum officiorum opera sedulo promerebor... Datae e Regio Monte, 14 Maii anno etc. 31.
*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, 14 Maii.

a) *in margine.*
b) *sequitur expunctum:* ac
1) *Carolus V.*

## N. 570.

*E Regio Monte, 14.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*de bona regis, reginae et regiorum liberorum valetudine gaudet; filiam sibi natam esse nuntiat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXX, N. 74.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 55-57.*

## N. 571.

*E Regio Monte, 14.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Hedvigi, filiae regis Poloniae,*
*cum excusatione narrat, cur legatus suus, Hermannus a Landwust, eam in persona visere et coram salutare non potuerit; filiam sibi natam esse nuntiat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 57-58.*

## N. 572.

*E Regio Monte, 14.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro opera et studio nuntio suo, Hermanno a Landwust, exhibito gratias agit; de filia sibi nata nuntiat; pro novis significatis gratias agit et ipse rumorem de morte magni ducis Moscoviae transmittit.*

*Cfr. El. XXXV, N. 248.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 58-60.*

Nunctiat filiam sibi natam. Agit gratias ob nova communicata et communicat nova.

Salutem et quidquid grati officii praestare possumus.

Illustris, Magnifice ac Generose Frater nobis charissime.

Indicavit nobis secretarius, consiliarius et fidelis noster dilectus Hermannus a Lantwust, studium, operam et diligentiam plane amicam et fraternam in negociis nostris atque erga suam personam nostri gratia adhibitam ac praestitam. Quam ob rem Illustri Magnificentiae Vestrae magnas agimus gratias. Nolumus autem Illustrem Magnificentiam Vestram, uti fratrem omnium charissimum, latere Illustrem Principem et Dominam consortem nostram[1] charissimam femineae suae sarcinae divina clementia sublevatam nobisque et ipsi a Deo Optimo

Maximo filiam datam, matremque et filiam prospera et optata valetudine, quam Deus pro sua bonitate diu conservet, uti. Hoc Illustri Vestrae Magnificentiae, ut fratri charissimo, non potuimus non significare, non ignorantes eandem magna laetitia et gaudio propter eiusmodi Dei donum perfusam iri gratiasque communes Deo largitori nobiscum persoluturam et acturam. Nam et successus rerum ac prospera Illustris Magnificentiae Vestrae fortuna nobis supra modum arridet ac nos exhilarat[a], adversa vero fortuna, quemadmodum debet, molestat. Haec sicuti scribimus et verbis testamur, ita in cordis intimis visceribus sentimus nec volumus, ut Illustris Magnificentia Vestra[b] aliud quidquam sibi de nobis persuadeat.

Respondemus autem Illustri Magnificentiae Vestrae ac propria manu rescribimus, agimusque eidem pro communicatis novitatibus magnas gratias atque vicissim nonnulla nova communicamus e Livonia nobis missa, videlicet supremum Muscorum Principem[2] naturae debitum solvisse. Ea, sicuti[c] allata[d] ac reddita nobis sunt, mittimus, nec iam praeter ea quidquam novarum rerum apud nos est. Nos Illustri Magnificentiae Vestrae, ut fratri nostro charissimo, servire quacunque in re possumus, dabimus operam, ut lubentes inveniamur atque seduli. Quam bene cum omnibus suis charissimis valere cupimus. Datae e Regiomonte ut supra.

a) *in ms.* exhilerat
b) *sequitur expunctum:* de nobis
c) *sequitur expunctum:* accepimus
d) *in ms.* ablata (*error pro:* allata *vel* oblata).
1) *Dorothea.*
2) *Basilius III obiit 1533.*

*N. 573.*

*E Regio Monte, 14.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi [Petro Tomicki]*
*pro studio et diligentia in negotiis suis et erga personam legati sui, Hermanni a Landwust, exhibita gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 60.*

*N. 574.*

*E Regio Monte, 14.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario,*
*pro diligentia in negotiis suis adhibita et opera secretario suo, Hermanno a Landwust, praestita gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 60-61.*

N. 575.

E Regio Monte, 14.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*pro benevolentia Hermanno a Landwust, secretario et oratori suo, exhibita gratias agit.*

*(Schedula: nepotem palatini leviter aegrotare significat, sed iam in dies bonam valetudinem recuperaturum esse).*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 231.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 61-62.*

N. 576.

E Regio Monte, 14.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*pro studio in negotiis suis adhibito et pro benevolentia in legatum suum, Hermannum a Landwust, gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 62.*

N. 577.

E Regio Monte, 14.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Benedicto medico*
*pro studio et diligentia in promovendis in aula regia negotiis suis gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 62-63.*

N. 578.

E Regio Monte, 14.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Wolski, reginae Bonae curiae magistro,*
*rogat, ut oblata occasione se visere velit; explicat rationes, cur commendato sibi Michaeli a Stradaun gratificari non potuerit.*

*Cfr. El. XXXV, NN. 239, 250.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 64-65.*

Rogat, ut se visat. Petit, ut se commendet. Indicat caussas, cur non faciat voti compotem.

Secunda omnia et prospera peroptamus Magnificentiae Vestrae, in quam singulari benevolentia propensi sumus.

Accepimus Magnificentiae Vestrae literas, quibus primum significat

se invisisse suas possessiones et bona atque voluisse, si aliquo modo fieri potuisset, nos accedere et sanitatem notram perquirere. Deinde precibus suis intercedit pro Michaele de Stradoun. Quae omnia intelleximus. Nos, ut verum fateamur, adventum Magnificentiae Vestrae ex animo desyderavimus, quo vetus inita et contracta amicitia et familiaritas inter nos nonnihil per mutuas et amicas confabulationes aliquo modo esset redintegrata. Et fuisset nobis Magnificentia Vestra tam gratus hospes, quam qui gratissimus. Verum quia regia negocia modo hoc Magnificentiae Vestrae pium propositum fecerunt irritum, rogamus, ut, si posthac oblata fuerit Magnificentiae Vestrae occasio iterum suas possessiones atque hanc viciniam visendi, ut tunc eadem non intermittat nos visitare. Qua in re Magnificentia Vestra gratum nobis faciet. Velit quoque nos pro suo in nos studio Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo et avunculo charissimo, necnon Reginali Maiestati[1], Dominae nostrae clementissimae, sedulo atque diligenter commendare nostrumque commodum apud illorum Maiestates pro virili promovere, sicuti non diffidimus Magnificentiam Vestram facturam. Quod nos singulari studio et clementia promereri studebimus.

Quod ad intercessionem et petitionem pro Melchiore[z] de Stradoun attinet, qua supplicatis eundem a nobis recipi in gratiam. Qua in re libenter obsequuti essemus Magnificentiae Vestrae. Verum dictus Michael se tam perniciosum seditionibus in nostra[a] ditione inter subditos nostros praestitit et exhibuit, ut coacti simus[b] pro cavenda seditione ac malo ei terris nostris et conversationibus inter nostros subditos interdicere atque alium dominum querendi facultatem dare. Quo factum est, ut Magnificentiam Vestram voti compotem in praesentiarum sine magno nostrorum subditorum damno ac periculo neutiquam possimus. Rogamus igitur, ut Magnificentia Vestra hanc nostram responsionem aequo animo ferat. Quod si supradictae causae non obstarent, libentissime hac in re, vel etiam maiori, Magnificentiae Vestrae morem gereremus. Magnificentiae enim Vestrae atque suis commodare ac prodesse semper[c] lubentes nos[d] exhibebimus. Quam optime valere percupimus. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Nicolao Volsky, Reginalis Maiestatis curiae magistro, ut supra.

a) *sequitur expunctum:* se
b) *in ms.* sumus
c) *sequitur expunctum:* prodesse
d) *correctum ex:* non
z) *sic in ms.*
1) *Bona.*

## *N. 579.*

*E Regio Monte, 15.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Zachariae Italicio (Włoszek)*
*litterarum ex Turcia ad regem recens allatarum et legationis Turcicae ante annum peractae descriptionem sibi mitti petit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 78-78v.*

An Stentzell Sacharienn von Losleck den 15 May.

Es hat uns der erbar, unser lieber getreuer Cristof von Creitz die entschuldigung deines nitschreibens, daran wir woll ersettigt, auch dei-

ne erbottene underthenige dienste, des wir uns gegen dir gantz gediglich thun bedangken, angezaigt.

Und ist an dich unser gnedigs begeren, du wollest hinfuro uns oft mit deinem schreiben zu ersuchen nit underlassen, auch so es dir zu thun ein abschrift des turgkischen briefs, so jungsten an ko.mt. zu Polann vorankompst[z], dieser ytzigen turgkischen botschaft nu schir vor einem jare gescheen, auch was die newe ankomens turgkische botschaft ko.mt. zu Polann etc., unserm und lieben ohemen, einbracht, mittailen und zuschicken. Das wollen wir gegen deiner person in allen gnaden zu erkennen, in kein vergessen stellen, und dir sonst gnedigen willen zu erzeigen seint wir genaigt. Datum Konigspergk ut supra.

z) *sic in ms.*

*N. 580.*

*E Regio Monte, 16.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*pro malis medicis uxori suae missis et pro studiis secretario suo, Hermanno a Landwust, Cracoviae exhibitis gratias agit eumque ad se invitat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 78v-79.*

*N. 581.*

*E Regio Monte, 16.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*rogat, ut nomine suo certas pecuniae summas Lipsiae, Norimbergae et Cracoviae a se debitas persolvat.*

*Cfr. El. XLVI, NN. 50, 51.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 80-80v.*

An Jobst Ludwigen den 16 May.

Uns hat unser secretarius, rath und lieber getreuer Hermann von Lanndtwuest, desgleichen unser cammermeister angezeigt, wes ir euch der wechsel halben von unsertwegen undternommen und bemuehet habt und sonderlich, das ir die V[c] gulden gein Leiptzigk ubermacht, des wir uns gantz gnediglich bedancken thon.

Dieweil ir aber zu dem 1000 gulden in golt gein Nurmbergk uff ditzmal keinen rath, mittel oder wege habt konnen finden und uns daran unser furstlich traw und glaub gelegen, thon wir nochmals gantz gutlich begeren, ir wollet vleis furwenden, ob ir mittel und weg zu finden wust, das uff ditzmall V[c] gulden gen Nurmberg Arnoldt Wengken und die andern V[c] gulden Thoma Lapi, zu Crakaw Gabriel Bezzini mocht ausgericht und uberantwort werden. So wollen wir euch solh geldt solang verzienssen, biss wir euch dasselbig widderumb uff zukomende Osternn von den 4000 gulden zu Crakaw uberantworten, dann

wir itzundt zur zeit kein andern oder weitern rath zu finden wissen, trostlicher zuvorsicht, ir werdet uns hierin wilfarig erscheinen. Das wollen wir widderumb in sondern gnaden erkennen. Datum Konigspergk ut supra.

*N. 582.*

*E Regio Monte, 16.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Hollfelder, acupictori Cracoviensi,*
*coronam floream uxori suae et alia ornamenta confici et sibi mitti petit.*

*Cfr. El. XLV, N. 11.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 79-80.*

Lieber, besonder.

Es hat uns unser secretarii, rath und lieber getreuer Hermann von Lanntwust angezeigt, erstlichen wie du ynen als unsern geschickten zu deinem jungen soens, domitte Got dich und deine hausfraw begabt, zur cristlichen tauffe und gefatterschaft gebeten, und das er auch solchs gutwillig und gern gethan. Welchs wir von yme gutten gefallen und wunschen dir, das solcher deiner sonn tugentlich erwachsse und das du und deine hausfraw ehre und freude an yme sehen und erleben. Zum andern, als du dich auch kegen uns und der hochgebornen furstin[1], unsern freuntlichen, lieben gemahel, hast entschuldigen lassen, das du ytzt an ko.mt. arbeit einem besondern schonen geschmugkten kranze und doch du alsbalde nach verfertigung solcher koniglichen arbeit und krantzes unsere und unsere gemahell arbeit auch angreiffen und vorfertigen wollest. Welchs wir disses falles woll und billich zufriden, dan wir ko.mt. zu Polann etc., unsers gnedigsten hern, freuntlichen, lieben ohemen und vatters, deiner auch sein und seiner ko.mt. sache gerne gefordert wissen. Wir bogern aber von dir gnediglichen, due wollest uns desselbigen krantzes, den due ko.mt. gemacht, ein muster machen und uns unser freuntlichen, lieben gemahel bey diesem unserm bothen ubersenden und dich auch unser bevolene arbeit lassen bevolen sein. Und das auch deine hausfraue unser gemahell mit uberschickung der modell, wie sie weis, nicht vergesse. Des wollen wir und unsre freuntliche gemahel in allen gnaden kegen dir und deiner hausfraw beschulden.

Nachdem du uns und unser gemahell hast anzaygen lassen, wie das golt am kauffe gestigen, und begerest dich zu wissen lassen, ab due solch auch nochmals kauffen sollest, darauf bogern wir von dir gnediglich, due wollest vor unsre freuntliche, liebe gemahel golt, auch gezogen golt, so nahe als due zu jtziger zeit solchs thun kannst, bestellen und kaufen. Daran thust due uns und unser lieben gemahel zu besondern gefallen. Geben zu Konigspergk ut supra.

1) *Dorothea.*

N. 583.

E Regio Monte, 17.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*« capitaneo Posnaniensi » [Andreae a Górka]*
*ab episcopo Caminensi Erasmo [a Manteuffel] et ab aliis rogatus, intercedit pro Georgio a Wedel, ut ei bona, ab agnato suo Matthia a Wedel tempore belli iniuste ablata, restituantur.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 80v-81.*

N. 584.

E Regio Monte, 19.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*capitaneo Mlavensi (in ms.* praefecto Melavensi)
*Melchiorem Grebenitz, servitorem suum, ad eum mittit, ut ad usum aulae aliquot boves ei emat, et rogat, ut dicto servitori suo in coemendis iusto pretio bobus auxilio sit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 65-66.*

N. 585.

E Regio Monte, 20.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*ab Erasmo [a Manteuffel] episcopo Caminensi et a nonnullis subditis suis, affinibus Georgii a Wedel (Weddel), rogatus, intercedit pro eodem Georgio a Wedel, ut ei bona, ab agnato suo Matthia a Wedel tempore belli iniuste ablata et erepta, restituantur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 66-67.*

N. 586.

E Regio Monte, 23.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro Nicolao Radziejowski, palatinide Plocensi (in ms.* Radzyeoviensi), *filio Andreae Radziejowski, palatini Plocensis, intercedit, ut diuturnam eius ab aula absentiam ignoscat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 67-69.*

N. 587.

E Regio Monte, 23.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*Nicolaum Radziejowski, palatinidem Plocensem (in ms.* Radzyeoviensem), *filium Andreae Radziejowski, palatini olim Plocensis, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 69-70.*

N. 588.

E Regio Monte, 23.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*Nicolaum Radziejowski, palatinidem Plocensem, filium Andreae Radziejowski, palatini olim Plocensis, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 70.*

N. 589.

E Regio Monte, 23.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario,*
*Nicolaum Radziejowski, palatinidem Plocensem, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 71-72.*

N. 590.

E Regio Monte, 23.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae et Ioanni Tęczyński, palatino et succamerario Cracoviensibus,*
*Nicolaum Radziejowski, palatinidem Plocensem, commendat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 71.*

*N. 591.*

*E Regio Monte, 24.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*prohibitioni regiae, ne se Imperialis Camerae iudicio subiiciat, se libenter obtemperaturum esse nuntiat.*

*Cfr. El. XXX, NN. 71, 72.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 72-73.*

Serenissime Rex, Potentissime Monarcha*).

Si quid est in me obsequiorum, quod ut subditus Princeps Sacrae Regiae Vestrae Maiestati praestare possum, id totum Sacrae Regiae Vestrae Maiestati supplex offero.

Serenissime Rex, accepi nudius tertius a Regia Vestra Maiestate per cubicularium peculiariter ad hoc missum regiam prohibitionem, regia manu subscriptam atque confirmatam, videlicet ne me Caesareae Maiestatis[1] Camerae iudicio praetextu imperialis mandati et annexae citationis subiitiam, idque sub poena amissionis regii feudi et provintiae Borussiae.

Serenissime Rex.

Ego tametsi, quod ad personam meam adtinet, non ignorem, quid ut Marchio Brandenburgensis, Stetiniae et Pomeraniae Dux etc. atque adeo Imperii Princeps, Sacrae Caesareae Maiestati debeam, attamen quia eiusmodi imperiali mandato et citatione provintia Borussiae Sacraeque Regiae Vestrae Maiestatis directum dominium, quod utili dominio iuxta legum praescriptum sine controversia praevalere debet, in controversiam deducitur, non invitus, sed perinde ut obsequens Princeps Regiae Vestrae Maiestati lubens obedio, quandoquidem, ut poetae versiculo utar: Caesar in hoc poterit iuris habere nihil, suppliciter rogans, Sacra Regia Vestra Maiestas apud Caesarem sic temperet negocium, ut Sacrae Regiae Vestrae Maiestatis et meum ius eadem opera propugnetur, et id, quod agit, agat diligenter atque sedulo. Quin etiam Regiae Vestrae Maiestati supplex ago gratias, quod tam strenuum et paternum promittit auxilium. Ego vicissim dabo operam, ut quantum haec mea mediocritate fieri potest atque summo conatu non aliter, quam obsequentissimus et officiosissimus vasallus cum omnium rerum mearum et vitae discrimine erga Sacram Regiam Vestram Maiestatem inveniar... Datae e Regio Monte, XXIIII Maii.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, XXIIII.

1) *Carolus V.*

*) *Textus identicus servatur etiam in: « Concepta » HBA K. 1160.*

*N. 592.*

*E Regio Monte, 24.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de bona regis et reginae eorumque liberorum valetudine gaudet; pro salutatione et pro diligentia in impetrandis litteris inhibitoriis adhibita gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 74.*

N. 593.

E Regio Monte, 24.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi [Petro Tomicki]*
*pro litteris et studio in negotiis suis exhibito gratias agit.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 243.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 75-76.*

N. 594.

E Regio Monte, 24.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi,*
*pro litteris et officiis in negotiis suis exhibitis gratias agit; nepotem palatini* « ad virtutem et honestatem nullo admonitore indigere » *significat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 245.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 74-75.*

N. 495.

E Regio Monte, 24.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Andreae de Valentinis, praeposito Sandomiriensi, medico reginae Bonae,*
*pro opera et studio in extollendo nomine suo apud regem et reginam Poloniae et principes Italiae gratias agit.*

*Cfr. El. XLVI, N. 40.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 76-77.*

N. 596.

E Regio Monte, 25.V.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, archidiacono Cracoviensi,*
*de vocabulo* « praetensus » *(scil.* « praetensus Borussiae administrator », *id est Valterus a Cronberg) inhibitioni regiae inserendo.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 77-78.*

De vocula praetensus inhibitioni inserenda. De inhibitione regio signo confirmanda.

Salutem et benevolentiam nostram.

Nobilis et Reverende, Amice syncere nobis dilecte.

Accepimus nudius quartus a Sacra Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo, inhibitionis literas, in quibus nihil prorsus desyderamus, nisi quia Waltherus a Cronburg simplicibus verbis appellatur Borussiae administrator. Nos etenim arbitramur non infrugiferum fu-

turum, si eadem denuo scribatur inhibitio a Regia Maiestate atque adiiciatur haec vox « praetensus » vel similis quaepiam, ne forte adversarii inveniant quod calumnientur atque pro eorum caussa facere confidant. Deinde quoque, ut ipsa inhibitio signo regio confirmetur. Quae tamen iudicio et intercessioni Reverentiae Vestrae committimus, nihil plane dubitantes eam hac in re pro solita sua humanitate atque bona voluntate erga nos hanc operam minime detrectaturam. Quod si in hunc modum caderet, habet Reverentia Vestra meum illum tabellarium, apud quem fieri potest, ut ad nos perferatur.

Quod ad Apologiam nostram adtinet, fieri hactenus non potuit, ut in Latinam linguam commode transfunderetur, id tamen quod hodie fit sedulo. Dabimus autem operam, ut simul atque absolutus fuerit hic labor, Reverentiae Vestrae transmittatur... Datae e Regio Monte, XXV Maii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Ioanni Koinsky, XXV Maii.

*N. 597.*

*E Regio Monte, 25.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*pro notitia de cupro sibi misso gratias agit; sal nitrum sibi mitti petit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLVI, N. 54.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 81v-82.*

*N. 598.*

*E Regio Monte, 25.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Francisco ab Horn*
*Preslaum Lanckoroński (in ms.* Lanntzkoruntzki*), capitaneum Chmielnicensem, instituisse nuntiat partem stipendii sui, sibi a duce annuatim persolvendi, ei cedere, duce non invito.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 81-81v.*

*N. 599.*

*E Regio Monte, 28.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de Gedanensium in re monetaria obstinacia et de damnis inde manantibus.*

*Cfr. El. XXX, N. 73.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 78-80.*

De re monetaria et Gedanensium obstinatia, quod prohibent avehi illuc frumentum.

Serenissime Rex.

Posteaquam has literas ad Regiam Vestram Maiestatem [a]obsignari fe-

cissem[b], accepi literas a Reverendissimo Domino Episcopo Varmiense[1], vicino et amico meo dilecto, hoc moliri iam Praelatos, Palatinos et reliquam Borussiae nobilitatem, ut praeter auream monetam reliqua amplius non cudatur. Cum tamen in proxime praeterita Dieta Marienburgensi Status provintiae Borussiae inter se convenerint, primum ut marcha Bruthenica viginti grossis aestimetur, non quindecim, idque non detrectaverint Gedanenses, deinde ut a cussione denariorum et solidorum tantum fieret cessatio, non etiam grossorum simplicium, duplicium et sextuplicium, atque adeo argenteae monetae, proinde ego, qui scio hunc conatum subditis Regiae Vestrae Maiestatis et meis futurum fraudi atque damnum irrecuperabile pariturum, praesertim vero, cum a secretario meo palam factum sit mihi cives Marienburgenses in proximo conventu maluisse argenteam monetam accipere quam auream, id ipsumque ab eo summis precibus postulasse hospitem, apud quem orathores mei diverterunt, ut argentea, non aurea moneta sumptus factos persolveret, supplex admoneo Serenissimam Regiam Vestram Maiestatem et obsecro, ut minime permittat in hunc modum subditos et Regiae Vestrae Maiestatis et meos depauperari atque tam immensum damnum perpeti.

Praeterea, Serenissime Rex, notum facio Regiae Vestrae Maiestati, uti Domino meo clementissimo, Gedanenses meis subditis adversus vetera et nova inita pacta atque contra ius et fas valde esse molestos, id summis viribus conari, ut subditi mei, praesertim vero Montis Regii cives, ad summam egestatem et inediam tandem redigantur. Siquidem quidquid est frumenti, quod ex Gedano ad Montem Regium traiiciendum est, prohibent, ne traiiciatur et illuc avehatur, atque id quod nemini non est liberum, meis subditis, utcunque etiam teloneum dare contra consuetudinem fuerint polliciti, denegaverunt, nisi quis datis fideiussoribus vel alterius vel suo nomine, uti id quod ad Montem Regium advehendum est, per oceanum minime traiiciatur, iuxta et summis precibus hoc impetraverit. Neque verentur in illa eorum obstinatia perseverare, cum tamen in novissima illa Marienburgensi Dieta apud meos orathores varios quaesiverint inficiandi modos. Proinde cum praefati mei cives et subditi hec a me supplices quesiverint, egoque hoc etiam non rogatus me meis subditis debere sciam, proposui edictum, ut tantisper, dum meis subditis liberam avehendi frumenti facultatem denegant, ipsis vicissim frumenti et reliquarum mercium suarum traiectio e Monte Regio eadem conditione sit interdicta. Neque vereor me ea in re apud Sacram Regiam Vestram Maiestatem aliquid indignationis contracturum. Sive enim Gedanenses hoc iure sive iniuria faciant, luce meridiana clarius est, hoc me secundum ius et fas atque ipsam aequitatem moliri et naturalia et civilia iura permittant vim vi et fraudem fraude repellere. Pollicens hoc ipsum Regiae Vestrae Maiestati, ut simulatque a tam odioso proposito Gedanenses abstinebunt, paratum esse me quoque eo nomine avehendi et traiiciendi quasvis merces cuivis facultatem praestare. Cui me iterum atque iterum commendo. Datae e Regio Monte, 28 Maii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 28 Maii.

a)-b) *in margine.*
1) *Mauritius Ferber.*

## N. 600.

*E Regio Monte, 28.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Friderico Schmaltz, civi et consuli Posnaniensi,*
*iterum urget, ut pecuniam marchioni Georgio a se debitam quam citissime mittat.*

*(Germanice)*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 82-82v.*

## N. 601.

*E Regio Monte, 29.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
« turkischen karteck » *sibi procurari et mitti petit.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 82v.*

An herrn Jobst Ludwig den 29 May, in m.g.h. namen ausgangen. Nachdem uns der Terle[1] von Crakaw ein muster von etlichen borthen zugeschickt, wir auch turkischen karteck 28 elen nodturftig, welche wir zuvor umb 6 g. gekauft. Derhalben ist an euch unser gnedigs synnen, ir wollet euch nicht bevielen lassen und zum besten desselben turkischen kartecken gelber farb, wie angezeigt, zu bestellen und das geldt (welhs in summa, karteck und borthen, XLIIII m. and geldt und an goldt 30 gld. weniger V g. ungeverlich treffen wurdt) darfur ausslegen, und solhs alles mit dem ersten zu gelegener zeit alher schigken, denn euch der Terle auch berichten wurdt, wie wir die elen itzlicher borthen anzunemen gesindt. Wo ir diss alles aber wolfeyler bekommen konnt, thut ir uns sonderlichs wolgefallen. Das wollen wir neben geburlich bezalung umb euch etc. Datum Konigspergk ut supra.

1) *Gabriel Tarlo.*

## N. 602.

*E Regio Monte, 30.V.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Aychler, civi Cracoviensi,*
« schamlot » *non nimis caro pretio sibi emi et mitti petit.*

*Cfr. El. XLV, N. 12.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 83.*

An Hanns Aychler den 30 May.

Uns ist yetzt Pfingsten ein schreiben vor dir zukommen, welhs datum am Dinstag nach Palmarum steht, darin wir vorstanden, das du den weissen schamlot fur 26 gulden achtest, den wir zu theuer gasatzt vormeinen. Wo du aber denselben fur 18 oder 20 gulden aufs hochst geben, als wollen wir solhen schamlet annemen, behalten und dir be-

zalen lassen, dann in vorzeiten haben wir solhen schamloth nit tewrer dann als umb 18 ader 20 gulden erkauft. Aber [a]dein annder weisse[b] schamlot, so wir dir widderumb zugeschigt, ist uns unsers bedunckens etwas an der farb zu gelb. Derhalben wollen wir lieber ander seiden gewandt darfur haben, damit wir besser vorsehen weren. Solhs wir dir uff dein schreiben nit wolten verhalten. Datum Konigspergk ut supra.

a)-b) *verba correcta.*

*N. 603.*

*E Regio Monte, 5.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Preslao Lanckoroński (in ms.* Pczestiaz Laukronitzky), *capitaneo Chmielnicensi,*
*equum sibi mitti petit; ipse equum, arma et annuum salarium per servitorem capitanei mittit et addit eum eodem salario pro libitu uti posse et* « Franciscum Horn, aut alterum, eius participem facere ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 80-81.*

*N. 604.*

*E Regio Monte, 6. VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo generali,*
*servum suum Clementem cum litteris mittit et equum sibi per eum mitti poscit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 81-82.*

*N. 605.*

*E Regio Monte, 6. VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Latalski, episcopo Posnaniensi,*
*servum suum Clementem cum litteris mittit et equum sibi per eum mitti petit* (« is praesens Magnificentiae Vestrae indicabit, narrabit ac demonstrabit, qualem equum et cuiusmodi coloris a Magnificentia Vestra emere cupimus »).

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 82-83.*

*N. 606.*

*E Regio Monte, 13.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, pro sollicitudine in negotiis suis demonstrata gratias agit; officia vicissim defert; de regis et reginae bona valetudine gaudet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 83.*

*N. 607.*

*E Regio Monte, 17.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*quod rex* «nullam sinistram suspicionem» *de se conceperit in causa, quae sibi cum Gedanensibus intercedit, gaudet; de eorundem Gedanensium iniquitate queritur.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 84-85.*

De caussa arresti inter Suam Celsitudinem et Gedanenses.

In primis offero Regiae Vestrae Maiestati omne obsequium ex syncero animi affectu, quam salvam et incolumem esse percupio.

Serenissime Rex.

Accepi Regiae Vestrae Maiestatis literas, caussam arresti inter me et Gedanenses continentes. Et laetor Regiam Vestram Maiestatem nullam sinistram suspitionem de me concepisse, perinde quasi animum Regiae Vestrae Maiestatis iuraque et privilegia offendissem. Quo nomine ago Regiae Vestrae Maiestati immensas gratias et dabo, Christo Iesu bene adiuvante, operam, ut nunquam eiuscemodi aliquid committam, quod possit Regiam Vestram Maiestatem offendere.

Quod vero ad negocium ipsum adtinet, satis abundeque Regiae Vestrae Maiestati apud nobilem a Steinkirchen significavi, in quem necessitatis angulum Gedanenses me impulerint, ut invitus coactus fuerim vim vi et fraudem fraude repellere. Nimirum cum Gedanenses veteribus initis pactis et longaevis consuetudinibus frivolis arrestationibus sive sequestrationibus contraierint, utcunque illae iure civili expressis verbis prohibitae sunt. Atque hoc unum quaerant, ut me, qui in quasi possessione libertatis sum, ad agendi onus temere detrudant. Id quod non potest primum Regiae Maiestati, deinde mihi non magnum discrimen parere. Quandoquidem fieri potest, ut provintia Borussiae, quam in feudum iure utilis dominii possideo, ad Regiam Vestram Maiestatem pleno iure perveniat, hocque feudum Regiae Vestrae Maiestati vel saltem successoribus tandem aperiatur. Quae cum ita se habeant, supplico Regiae Vestrae Maiestati, ut me hoc in negocio excusatum habeat, neque permittat, ut Gedanensibus contra aequitatem, civilia et naturalia iura, quidvis pro eorum libidine perpetuo liceat. Siquidem paratus sum a meo incepto desistere, dummodo ipsi a temerario suo ausu priores desistant, vel ab ipsis in ius vocatus coram Regia Vestra Maiestate, iudice meo ordinario, eorum insimulationibus respondere, dummodo hoc mihi non eripiatur, ut ex convento sive reo, nempe propter

libertatis quasi possessionem, actor minime efficiar. Quod ut liquidius pateat, et quam malim ego bonus esse vicinus quam litigare, transmitto Regiae Vestrae Maiestati exemplar literarum, quas ad Gedanenses scripsi atque in Latinum idioma ex Germanico transferri feci... Datae e Regio Monte, XVII Iunii anno etc. MDXXXI.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, XVII Iunii.

*N. 608.*

*E Regio Monte, 21.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de Masovitis monetam Pruthenicam accipere nolentibus queritur.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 86-87.*

De re monetarea.

Serenissime Rex, Domine Clementissime *etc.*

Accepi a Reverendissimo Domino Episcopo Varmiensi[1], vicino et amico meo dilecto, literas, quibus mihi significat subditos Reverendissimae eius Paternitatis ex Mazovia redeuntes eidem Suae Paternitati indicasse, quod subditi Regiae Vestrae Maiestatis in Mazovia monetam Regiae Vestrae Maiestatis Toronii et meam hic in Regio Monte excusam accipere nolint. Quae inobedientia cum sit contra Regiae Vestrae Maiestatis mandatum, et tum meis, tum Reverendissimae eius Paternitatis subditis magnum damnum allatura sit, atque ego non ignorem ea omnia a Mazoviensibus, Regia Vestra Maiestate inscia et invita, moliri, non potui mihi temperare, quin hanc temerariam inobedientiam Mazoviensium Regiae Vestrae Maiestati hisce meis literis notam facerem. Proinde Regiae Vestrae Maiestati qua decet reverentia supplico, ut non dedignetur subditis suis in Mazovia praecipere ac mandare, ut monetam meam iuxta Regiae Vestrae Maiestatis mandatum, quod praecipit, ut moneta mea aeque ac non aliter accipiatur in Regno Poloniae, in Mazovia ac Russia, atque solet in Borussia, [a]accipiant et non reiiciant[b]. Qua in re, quia aequum et Regiae Vestrae Maiestatis mandato consentaneum peto ac rogo, non dubito eandem se facillimam praebituram et suis subditis in Mazovia mandaturam, ut posthac Regiae Vestrae Maiestatis, ut Regis et Domini sui clementissimi, mandato minime inobedientes se praebeant. Quod ipsum ego omnibus debitis officiis ac servitio erga Regiam Vestram Maiestatem, ut Dominum meum clementissimum, diligenter atque sedulo promereri studebo... Datae e Regio Monte, XXI Iunii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, XXI Iunii.

a)-b) *in ms. haec verba per errorem expuncta erant.*

1) *Mauritius Ferber.*

*N. 609.*

*E Regio Monte, 22.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Stanislao Orbidano (Orwid), tivuno Telszensi,*
*pro Ioanne Buchner (in ms. Buhener), subdito suo et scriba Ragnetensi, cui Maurus Rasys, subditus Orbidani, viginti tauros debet et neque eos restituere neque pro eis pecuniam solvere vult, intercedit, ut ei sine ulteriori procrastinatione iustitia administretur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 87-88.*

*N. 610.*

*E Regio Monte, 24.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Annae duci Masoviae*
*Christino Kuberski (in ms.* de Cubersky), *vexillifero Visnensi, sibi ab ea commendato, se libenter profuturum esse significat et apud Regni thesaurarium [Nicolaum Szydłowiecki] intercessurum, ut debitum ei salarium reddatur.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 257.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 88-89.*

*N. 611.*

*E Regio Monte, 28.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Georgio Radziwiłł, exercituum M.D.L. capitaneo generali,*
*rogat, ut virginem Annam Lindenaw, proxime praeterito bello inter Poloniam et Prussiam gesto captivam in Lithuaniam abductam, sibi restituat.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 89-90.*

Repetit Annam Lindenaw.

S[alutem] et benevolentiam nostram.

Certiores facti sumus in proxime praeterito bello inter Regnum Poloniae et provintiam Prussiae exorto virginem quandam, nomine Annam de Lindenaw, captivam e provintia nostra ductam et iam in Magnificentiae Vestrae potestate atque districtu eam esse ac teneri. Nos vero, quia non dubitamus Magnificentiam Vestram non latere, qui contractus initi et confirmati, quae foedera pacis icta et corroborata sint inter Regnum Poloniae et provintiam Borussiae, postquam bellum diremptum ac sedatum fuit, videlicet inter reliqua contractum pacis hoc in se habere, ut omnes captivi suis antiquis et prioribus dominis reddantur et restituantur, desideramus gratiose atque enixe a Magnificentia Vestra petimus, ut non gravetur nobis dictam virginem iuxta prae-

dictum contractum reddere ac postliminio restituere. Et plane confidimus Magnificentiam Vestram hac in re ex dicti contractus valore voluntati nostrae et iustae petitioni satisfacturam et praememoratam virginem nobis reddituram, perque Georgium Meck, civem Wilnensem, qui eam nostro nomine a Magnificentia Vestra accipiet ac ut honeste ad nos perveniat procurabit, missuram. Qua in re Magnificentia Vestra faciet saepe dicto contractui rem consentaneam, nobis vero maiorem in modum gratam. Volumus autem, ut Magnificentia Vestra hoc sibi de nobis persuadeat, ut si erit aliquid, quod ad Magnificentiae Vestrae commodum amplificandum faciat, daturos nos operam, ut vicissim praestemus nos aequos ac lubentes... Datae e Regio Monte, 28 Iunii anno 1531.

*In initio epistolae in margine:* Georgio Radivil, 28 Iunii.

*N. 612.*

*E Regio Monte, 29.VI.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christino Kuberski, vexillifero Visnensi,*
*significat se scripsisse praefecto suo in Lyck (Ełk), ut ei annuum salarium persolvat.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 90-91.*

*N. 613.*

*E Regio Monte, 1.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de Sigismundi ab Herberstein opera* « in componendis controversiis duorum monarcharum » *(scil. regum Ferdinandi et Ioannis); de Hieronymi Łaski incolumi reditu; de duce Michaele Gliński in Moscovia; de mercatore ab Ibrahim bassa misso bene tractando; de negotio Christophori Szydłowiecki cum Georgio marchione Brandenburgensi et Friderico duce Legnicensi.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 91-93.*

Fit mentio officii Sigismundi Herberstein in componendis controversiis duorum Monarcharum etc., Laski etc., Ducis Michaelis etc., mercatoris a bassa etc., negocii Schid. et Georgii et Ducis Legnicensis etc.

Accepimus literas Illustritatis Vestrae sabbatho a feriis divi Viti martyris scriptas. Neque dubitamus literas nostras, quibus Illustritati Vestrae atque aliis Dominis fratribus et amicis respondemus, oblatas esse. Gratum est nobis Dominum Sigismundum ab Herberstein tam esse officiosum in componendis controversiis duorum Monarcharum, nihil diffidentes sua industria et Illustritatis Vestrae apud eum inter-

cessione futurum, ut se optimum apud Serenissimum Dominum Ferdinandum Regem etc. mediatorem praebeat, quo nobis Teutonicorum Ordo perpetuo non sit molestus.

Dominum Lasky[1] incolumem appulisse libenter legimus. Rogamus autem Illustritatem Vestram, ut si quid egerit scitu dignum, Illustritas Vestra nobis significet. De aliis novis ago Illustritati Vestrae gratias.

Quod ad Ducem Michaelem[2] adtinet, grave est admodum habere custodes potius quam ministros, hoc est eos potius, a quibus alicui timendum sit, quam quibus pro voluntate aliquid imperetur. Eat nunc aliquis christianus et se credat tyranno scismatico. Sic pereat quicunque alius, qui talia tentat. Mercatorem missum ab Imbraim Bassa bene tractari suadeo, quandoquidem saepenumero parva aliqua impensa fieri potest, ut magnum emolumentum lucrifaciamus.

Insuper quod frigide tractatur negocium Illustritatis Vestrae ex parte Illustrissimi Principis fratris germani nostri[3], et Illustrissimi Principis Ducis Lignicensis[4], non libenter legimus. Scire tamen volumus Illustritatem Vestram, ea nos intellexisse ex literis Nicolai Nipsitz, ut animi utriusque Principis prope diem immutentur atque iam ante immutatos esse. Quae utcunque ceciderint, offerimus nos erga Illustritatem Vestram in hac caussa atque omnibus aliis non quidem ut iudicem sive arbitrum, sed ut fratrem et ministrum, enixe rogantes, ut hoc ipsum Illustritas Vestra, uti frater amantissimus, de nobis sibi plane persuadeat, neque quidquam addubitet.

Transmittimus Illustritati Vestrae eas literas, quae Illustritati Vestrae scriptae sunt et quarum non exempla, sed autographa[a] sive originalia, accepimus. Si quid earum literarum apud nos adhuc restat, Illustritas Vestra reddat nos eius rei certiores... Datae e Regio Monte, Calendis Iulii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Domino Christophoro Chidl.[z], Calendis Iulii.

a) *in ms. litteris graecis scriptum.*

z) *sic in ms.*

1) *Hieronymus Laski.*

2) *Gliński (Glinskij).*

3) *Georgius marchio Brandenburgensis.*

4) *Fridericus II.*

*N. 614.*

*E Regio Monte, 3.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*supplicat, ut promoveat causam Henrici a Plauen, quem mater eius, principissa ab Anhalt, non esse filium a se procreatum, sed suppositum asserit.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 93-95.*

Literae promotoriales pro Henrico a Plawen.

Conquestus est mihi Magnificus ac Generosus Henricus a Plauen, praesentium literarum exhibitor, Illustrem suam matrem, e Principum ab Anhalt familia procreatam, in eam erga se indignationem pervenisse, ut palam abneget eum esse filium ex se procreatum, sed suppositum, id quod est multis retro seculis inauditum, atque eo nomine

aliquandiu cum ea coram Regia Maiestate Bohemiae[1] etc. litigasse. Praeterea discordiam inter eius scribam et reliquos ministros exortam et scribam in seditione ab uno atque altero ministrorum caesum. Quam ob rem factum esse, ut ab adversariis eius caedis, perinde quasi conscius, fuerit insimulatus, proptereaque profugum, tametsi immerentem et innoxium, factum esse, hacque ratione fieri minime posse, ut ius suum consequatur.

Proinde supplicavit mihi, ut apud Regiam Vestram Maiestatem pro eo intercederem. Quod cum ei denegare haud possum, supplex rogo, Regia Vestra Maiestas dignetur eius calamitatis misereri et Regiae Maiestati Bohemiae etc. hominem per literas commendare, praeterea idem quoque agere cum Generoso Domino Sigismundo ab Herberstein, ut eius caussam apud Regem Ferdinandum promoveat: primum, ut salvum conductum, qualem ipse petit, acquirat, deinde ut hic supplex et calamitosus erro consequatur quod suum est, praesertim vero cum legibus Romanis relatum sit, matri, quae filium non suum profitetur, minime credendum esse (in fine Pandectarum de proba. et praesumpt.); postremo ut sic temperetur negocium, ne huic foeminae, quae certo in alteram peccavit partem, sit impune sic cum suis ludere. Commendans me et omnia mea Regiae Vestrae Maiestati, quam cum Serenissimis Dominis, Regina consorte[2], Rege filio et reliquis liberis, Dominis meis clementissimis et consobrinis charissimis, in Christo Jesu optime valere percupio. Datae e Regio Monte III Iulii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae III Iulii.

1) *Ferdinandus.*
2) *Bona.*

*N. 615.*

*E Regio Monte, 3.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Iosto Ludovico Decio*
*pro cupro suppeditato gratias agit, aliud expetit; aliquot dolia vini boni et* «kartecken» *ducissae mitti petit; rogat, ut summam 1000 florenorum cuidam creditori suo persolvi curet.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLVI, N. 54.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 83-84.*

*N. 616.*

*E Regio Monte, 7.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro Petro Behem (Bohemo), cive et senatore Gedanensi, ut causam eius sic apud regem promoveat, quo ab ordine senatorio definitive liberetur.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 97-99.*

## *N. 617.*

*E Regio Monte, 17.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*pro Luca a Barthen et filio eius Iacobo, civibus Gedanensibus, intercedit, ut eis iustitia administretur,* « maxime vero eo nomine, quod Iacobus a Barthen Iohannis Lohmullers, civitatis Rigensis syndici, et cognatus et substitutus sit ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 99-101.*

## *N. 618.*

*E Regio Monte, 17.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*pro Luca a Barthen et filio eius Iacobo, civibus Gedanensibus, intercedit, ut causam eorum, quam cum Ioanne Angermunden habent, apud regem ita promoveat,* « ne dicti cives iure suo exuantur, neve audacia praevaleat aequitati ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 267.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 101-102.*

## *N. 619.*

*E Regio Monte, 20.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*fratribus Valdensibus*
*concedit eis potestatem sedes sibi in Prussia quaerendi et stabiliendi.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 95-96.*

Facit potestatem sedes querendi in Prussia.

Salutem et gratiam per Christum, nobis dilecti.

Nomine vestro perlatum est ad nos aliquot ex fratribus vestris cupere commigrare ac sedes habere in terra nostra Brutenica. Quare vos[a] certiores facimus nostram terram esse amplam et pro virili parte propter continua bella, quae non sine magna depopulatione hic atrociter ad plures annos gesta sunt, incultam, frugiferam tamen amoenamque[b] et habitationibus idoneam, quam coli et habitabilem vellemus. Idcirco si vobis et fratribus res cordi est, desideramus, ut nonnullos ad[c] nos ablegetis[d], qui terram, sedes et situm inspiciant. Illa vobis non uno in loco ostendere et tunc voluntatem nostram de censu, subiectione, libertate et aliis latius declarare volumus, ut de his omnibus inter nos ex aequo conveniatur. Fides autem vestra ab hoc pro-

posito non vos absterreat, quam vobis vestra pro religione in suis finibus permittemus. Illa nolumus vos latere. Datae 20 Iulii anno etc. 31.

*In initio epistolae in margine:* Fratribus Waldensibus, 20 Iulii.

a) *in ms. res*
b) *in ms.* amemamque
c) *verbum correctum.*
d) *in ms.* ablegatis

*N. 620.*

*E Regio Monte, 22.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*rogat, ut statuat ac definiat diem finium inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae regundorum,* « quo caussae atque controversiae pendentes et usque ad inspectionem limitum suspensae tandem commode dirimi ac finiri possint ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol., 49, ff. 96-97.*

*N. 621.*

*E Regio Monte, 23.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Plocensi [Andreae Krzycki]*
*pro Adamo Radzimiński, succamerario Varsaviensi, qui violationis ieiunii inculpatus est, ut ei culpam ignoscat.*
*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 279.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 102-104.*

Pro Adamo Radzymynsky.

Reverendissime in Christo Pater etc.

Venit ad nos nobilis et fidelis nobis dilectus Adamus Radzymynsky de Maluzino, succamerarius Varschoviensis, indicans et narrans nobis se a Reverendissima Vestra Paternitate quasi lue hereticae pravitatis inquinatum, quod videlicet carnes die forte interdicto comederit atque sic contra catholicam Ecclesiam peccaverit, peremptorie in aulam Reverendissimae Vestrae Paternitatis citatum atque vocatum esse, ut inibi admissi reddat rationem ac poenas luat. Proinde nobis humillime supplicans, ut non dedignaremur pro se apud Reverendissimam Vestram Paternitatem intercedere atque admissi poenam deprecari. Nos vero, quia hominem singulari gratia, nimirum fidelem nostrum, prosequimur, non potuimus ei hanc operam detrectare[a], praesertim quod hoc admissum, quantum ex ipso intelleximus, non sit factum ex contemptu christianae religionis, aut in alicuius vel offensionem vel odium vel etiam pertinaciter, sed casu magis quam data opera.

Rogamus igitur amice ac diligenter, ut Reverendissima Vestra Paternitas non dedignetur nostri honoris gratia fideli nostro, si quid

forte, quod poena dignum sit, hac in parte peccaverit (nolumus autem hic culpae patrocinari, nec de culpae magnitudine aut parvitate, nec de constitutionibus Conciliorum, Pontificum, e quibus hic nihil derogamus, volumus disputare, sed poenam tantum deprecabimur), id ex innata sua et christiana pietate ac humanitate condonare, remittere caussamque sic moderari ac tractare, quo fidelis noster intelligat nos accurate scripsisse atque literas nostras sibi apud Reverendissimam Vestram Paternitatem plurimum profuisse. Nos dabimus operam, ut Reverendissimae Vestrae Paternitati, ut amico nostro singulari, in re longe maiori vicissim commodemus. Quam in Christo quam optime valere exoptamus. Datae e Regiomonte 23 Iulii anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Episcopo Plocensi 23 Iulii.

a) *in ms.* detractare

*N. 622.*

*E Regio Monte, 25.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*intercedit pro Caspare Löbener, cive Regiomontano, ut silvam in Lithuania in confinibus praefecturae Ragnetensis prope fluvium Szyrwinta* (Scherewinta) *sita, et quae limitibus suis usque ad fluvium Szeszupa* (Scheschuppa) *extenditur, conducere possit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 104-106.*

*N. 623.*

*E Regio Monte, 25.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Bonae reginae Poloniae*
*commendat causam Casparis Löbener, civis Regiomontani, qui silvam in Lithuania prope Szyrwinta conducere cupit* «pro conficiendo cinere atque in eo laborando».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 106-107.*

*N. 624.*

*E Regio Monte, 26.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*Fridericum Iskra (vel Giskra), artis bellicae peritum, commendat et rogat, ut ei rex aliquod militare officium assignet.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 108-110.*

Pro Domino Friderico Iskra.

Serenissime Rex etc.

Nobilis ac Generosus Dominus Fridericus Iskra, eques auratus singulariter mihi charus, praesentium lator, fuit olim propter[a] scien-

tiam et peritiam rei militaris mihi magno usui. Is nuper ad me reversus est, cupiens sibi a me militare aliquod aut etiam aulicum officium et servitium adscribi. Ego quanquam dictum Fridericum propter militares eius virtutes et officia mihi olim exhibita non libenter a me dimittam aut alio ablegem, tamen mei candoris et dignitatis duxi esse eiusmodi virum, cum ego eo[b] hoc tempore satis pacifico (quod ut diu sit, Deum precor) et tranquillo in bellicis negociis et officiis uti non possum, potius ad Regiam Vestram Maiestatem in gratiam eiusdem mittendum, quam hic in aula et ocio fovendum. Id quod a me quoque obnixe et supplex petiit. Neque enim me latet Regiam Vestram Maiestatem iam bellicam expeditionem contra Moldavum adornare. Qua in re dictus Fridericus, uti eius artis peritus, Regiae Vestrae Maiestati multum potest prodesse. Proinde suppliciter rogo, primum ut Regia Vestra Maiestas homini officium aliquod delegare eoque in re bellica uti, deinde ut eundem, si forte eius usus ad bella (quae Deus Optimus Maximus pro paterna sua clementia prohibeat) mihi necessarius futurus esset, tum ad me remittere non dedignetur.

Haec mea supplicia vota cum sint ex amore erga Regiam Vestram Maiestatem integro, necnon utilia Regiae Vestrae Maiestati et mihi futura, et facillima[c] plane securitatem quandam mihi adferunt, Regiam Vestram Maiestatem pro regia sua erga me clementia et favore se facillimam praebituram meque votorum compotem reddituram. Quod tamen ut non dedignetur facere, iterum atque iterum suppliciter rogo, ne Fridericus Iskra has meas literas nullius, sed magni momenti fuisse sentiat sibique non parum, sed multum commodasse. Ego dabo operam, ut Regiae Vestrae Maiestati pro debito meo officio vicissim sic commodem, ut sentiat me semper instructum, paratum et obsequentem esse... Datae e Regio Monte, 26 Iulii anno etc. 31.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, XXVI Iulii.

a) *sequitur expunctum*: singulariter
b) *supra lineam.*
c) *sic in ms., forte error pro*: facillime

*N. 625.*

*E Regio Monte, 26.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, nobilem Fridericum Iskra, rei militaris valde peritum, commendat et rogat, quo* « aliquod insigne militare officium ei decernatur ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 110-112.*

## N. 626.

*E Regio Monte, 27.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*intercessionem apud regem et Christophorum Szydłowiecki expetit pro Venceslao Proček, quem inter capitaneos et consiliarios suos adnumeravit, ut expeditioni in Valachiam faciendae interesse possit.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XLVI, N. 62.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 84-84v.*

## N. 627.

*E Regio Monte, 28.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alberto Gasztołd, palatino Vilnensi, M.D.L. cancellario,*
*pro sollicitudine de bona valetudine sua gratias agit et ipse optimam et diuturnam valetudinem ei precatur; pro novis sibi significatis gratias agit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 112-113.*

## N. 628.

*E Regio Monte, 31.VII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Georgio Radziwiłł, exercituum M.D.L. capitaneo generali,*
*virginem Barbaram repetit**).

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 113-114.*

Repetit virginem Barbaram.

Magnifice ac Generose.

Accepimus literas Magnificentiae Vestrae, quibus eam virginem, quam a Magnificentia Vestra petimus, scribit matrimonio copulasse. Quam ob rem minime fieri posse, ut ad[a] nos remittatur. Veruntamen quia iam palam factum est nobis scripsisse nos de Anna virgine, eam vero, quam nos petimus, non Annam, sed Barbaram appellari, proinde fieri potuit, ut Anna viro nupserit, non Barbara. Quae cum ita se habeant, enixe rogamus, Magnificentia Vestra velit eam Barbaram Gregorio Meck, civi Wilnensi, commendare nobis transmittendam. Quod si haec Barbara nupsit, rogamus, ut eam una cum marito vel sponso transmitti Magnificentia Vestra faciat, quandoquidem amici eam supplices a nobis flagitant atque nos multae aliae rationes urgent, ut velimus eam saltem videre et alloqui. Qua in re faciet Magnificentia Vestra rem nobis valde gratam, amicis vero puellae summe necessariam. Nos dabimus operam, ut Magnificentiae Vestrae in re longe maiore diligenter commodemus. Datae e Regio Monte pridie Calendas Augusti anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Georgio Radivil, Calendis Augusti[z].

a) *supra lineam.*
z) *sic in ms.*

*) *Cfr. N. 611.*

N. 629.

E Regio Monte, 14.VIII.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Alexandro Iłowski (in ms. Ygloffsky)*
*de non persoluto sibi stipendio* («besoldung») *conquerenti respondet id ob absentiam camerae magistri* (camermeister) *factum esse.*

*(Germanice)*

*Cfr. El. XXXV, N. 262.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, f. 84v.*

N. 630.

E Regio Monte, 25.VIII.1531.

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*Apologiam mittit et rogat, ut eam dispiciat; ab Ioanne Dantisco se accepisse nuntiat imperatorem nullam simultatem inter se et regem desiderare; Nicolaum Petkowicz iniqua petere et moliri asserit.*

*Cfr. El. XXX, N. 81.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 114-116.*

Mittit Apologiam rogans, ut dispiciatur. De voluntae Caesaris[1].
De querimonia Nicolai Petkovitz.
Serenissime Rex, Potentissime Monarcha *etc.*

Mitto Regiae Vestrae Maiestati Apologiam meam, quam ad excusandam et propugnandam innovationem provintiae Borussiae atque Ordinis depositionem exaravi[a] et in Latinum ideoma transferri feci[b], suppliciter rogans, ut Sacra Regia Vestra Maiestas dignetur cum suis consiliariis, fratribus et amicis meis charissimis, diligenter dispicere, si quid ei libello vel demendum vel addendum sit, nosque eius rei diligenter admonere, ne quid forte in publicum exeat, quod vel Sacram Regiam Maiestatem Vestram offendere, vel mihi fraudi esse queat. Neque enim diffidimus Regiam Vestram Maiestatem cum Dominis consiliariis pro innata prudentia hoc posse atque pro pietate et fraterna necessitudine maxime velle, utcunque tandem male isti feriati homines Teutonici Ordinis hoc ferant.

Quod ad Caesaream Maiestatem adtinet, certior nuper factus sum per Sacrae Regiae Vestrae Maiestatis orathorem, Dominum Episcopum Colmensem[2], non velle quidem eius Caesaream Maiestatem, ut aliqua simultas inter eius Maiestatem et Regiam Vestram Maiestatem istorum hominum gratia intercedat. Id autem, quod literis fit et Caesareae Cancellariae mandatis atque citationibus, pro veteri illa Imperii Romani consuetudine fieri. Neque tantum posse has literas, ut Regna transferant et adimant provintias.

Serenissime Rex.

Accepi nuper Regiae Vestrae Maiestatis literas ante decem menses scriptas, querimoniam Nicolai Petkovitz continentes, perinde quasi contra inita pacta ius ei in aliquot rusticos denegetur. Id quod inique agit, quandoquidem eius rei a Mauritio de Perskau, capitaneo nostro,

certior factus sum iniqua eum petere et moliri atque capitaneum nostrum iuxta conventionem initam limitum inter Regiam Vestram Maiestatem et me eam prohibitionem praefato Nicolao fecisse. Praeterea scripsit nobis idem capitaneus noster pridie praedictum Nicolaum nostros subditos ad insueta onera vi adigere. Quo nomine supplicaverunt illi mihi, ut ab oneribus inique deprimentibus eos liberarem. Proinde supplico Sacrae Regiae Vestrae Maiestati, ut non dedignetur cum saepedicto Nicolao hoc agere, ne subditi mei iniuriam inique perferant. Si vicissim mea opera modica fieri potest, dabo operam, ut supplicem tandem operam Sacrae Regiae Vestrae Maiestati referam.... Datae e Regio Monte, 25 Augusti anno ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, XXV Augusti.

a) *correctum ex:* exaravimus
b) *correctum ex:* fecimus

1) *Carolus V.*
2) *Ioannes Dantiscus, ep. Culmensis.*

*N. 631.*

*E Regio Monte, 25.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de moliminibus fratrum Theutonicorum a Prussia avertendis; de Apologia sua regi missa; de negotio Caroli ducis Munsterbergensis; de Nicolai Gerend, electi episcopi Transilvaniae, epistolae conclusione a se non intellecta.*

*Cfr. El. XXXV, NN. 260, 261,277.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 119-122.*

De negocio fratrum Teutonicorum. De Apologia, quam rogat dispici. De negocio Ducis Caroli etc.

Literas Illustritatis Vestrae XXI Iulii scriptas accepimus XIII Augusti, atque adeo posteaquam Christophorus a Creitzen, minister noster, cum posterioribus Illustritatis Vestrae literis ad nos rediit, et eas quidem integras et salvas. Agimus autem Illustritati Vestrae, uti fratri nostro charissimo, magnas gratias pro fraterno officio, quod videlicet nos tot novis dignatur. Non admodum libenter legimus nullam fuisse Illustritati Vestrae opportunitatem agendi cum Domino Sigismundo ab Herberstein de negocio fratrum Teutonicorum, praeterea quod Reverendissimus Episcopus Culmensis[1] dissuasit, quominus Apologiis innovatio status nostri atque rei Prutenicae defendatur. Neque enim speramus futurum, ut sine intercessione apud Sacram Caesaream Maiestatem[2] id, quod isti homines construunt, sua mole corruat. Rogamus autem Illustritatem Vestram, ut significet nobis, nunquid commissum sit Episcopo praefato et regio orathori hoc moliri apud Sacram Caesaream Maiestatem, ut res Pruthenica tandem optatum portum pertingat et ut Caesar id, quod eius Maiestas est pollicita, literis peculiaribus atque diplomate aliquo caveat, ut haec innovatio Regno Poloniae nunquam sit futura fraudi, nempe quod nos supplices a Sacra Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo, petivimus.

Mittimus autem Sacrae Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo, Apologiam nostram, quam in Latinam linguam transferri fecimus et qua nostram innovationem, perinde quasi honestam, utilem

et necessariam propugnamus. Hoc acturi, ut Illustritati quoque Vestrae eiusdem exemplar transmitteremus, nisi sciremus Illustritatem Vestram eodem regio exemplari usuram iri. Et satis alioqui exemplorum transcribi fecimus, suppliciter ac fraterne rogantes, ut Sacrae Regiae Maiestatis et Illustritatis Vestrae, necnon Reverendissimi in Christo Patris, Domini Petri[3] Episcopi Cracoviensis, consilium, ut eam Apologiam, quam et aliis fratribus et amicis nostris in Germaniam transmisimus, aereis typis in multa exemplaria transcribendam et in publicum emittendam curemus, utque tandem palam fiat, quam inique isti male feriati homines Teutonici Ordinis nos traducant et calumnientur.

Quod ad negocium Illustrissimi Ducis Caroli[4] adtinet, nihil est, propter quod Illustritas Vestra tam gravibus verbis obstringat fidem suam, quandoquidem plus debet inter nos valere perpetua illa et inviolabilis contracta necessituto, quam ut verborum lenociniis aut sacramento opus habeat. Si quid autem in ea caussa praestare poterimus, dabimus operam, ut nulla prorsus inter Ducem et Illustritatem Vestram maneat simultas.

Caeterum non intelligimus posteriorem partem epistolae, quam Reverendissimum Dominus[a] Nicolaus de Charend[5], Electus Transylvensis et Thesaurarius regius, ad Illustritatem Vestram scripsit, ibi videlicet: Nisi occupata per Ioannem Regem restituantur Turcis etc., rogamus igitur Illustritatem Vestram, ut cum alias dabitur scribendi occasio, Illustritas Vestra nobis verba[b] eius epistolae interpretetur.

Praeterea accepimus nudius tertius literas a Reverendissimo Domino Episcopo Colmensi, quibus nobis significat dedisse Suam Paternitatem non ante multos dies ad nos literas. Proinde, quia eas nondum accepimus, rogamus Illustritatem Vestram, ut si aliquid earum literarum ad regiam aulam pervenerit, curet nobis transmitti.

Postremo, cum iam hae literae essent scriptae, accepimus a Magnificentia Vestra alias literas XIII Augusti datas, gaudii et laetitiae plenas, quibus nobis significatur hostem Moldavum[6] sexies feliciter profligatum esse. Quo nomine Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo et avunculo charissimo, gratulamur, atque exercitus ductoribus et militibus, Illustritati quoque Vestrae eo nomine gratias agimus. Sic pereat quicunque alius, qui talia tentat... Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Domino Christophoro Schidlovietz, ut supra.

a) *sequitur expunctum*: Episcopus
b) *correctum ex*: verbas
1) *Ioannes Dantiscus*
2) *Carolus V.*
3) *Tomicki.*
4) *Munsterbergensis (Ziembicensis).*
5) *Gerend.*
6) *Petrus Rareš.*

*N. 632.*

*E Regio Monte, 25.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi [Petro Tomicki]*
*Apologiam transmittit et rogat, ut eam dispiciat.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 278.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 123-124.*

N. 633.

*E Regio Monte, 25.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, electo episcopo Premisliensi,*
*episcopalem dignitatem ei gratulatur; Apologiam mittit, ut eam dispiciat.*

*Cfr. El. XXXV, NN. 276, 280.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 117-118.*

Gratulatur episcopatus dignitatem. Transmittit Apologiam dispiciendam.

Quod faustum sit et felix Reipublicae Christianae atque Reverendissimae Paternitati Vestrae, amice nobis multis nominibus dilecte.

Gratulamur Reverendissimae Vestrae Paternitati novam pontificatus dignitatem, novum honorem, tametsi non ingnoremus Reverendissimam Vestram Paternitatem talem esse, quae locupletiore aliqua dignitate et fortuna ampliore sit digna. Sed utcunque ceciderit, non diffido futurum, ut Reverendissima Vestra Paternitas ad longe altius fastigium sit prope diem progressura. Natura siquidem in hunc modum est comparatum, ut non nisi per gradus ad summa tandem perveniamus. Dabimus autem nos operam, quandoquidem sic accidit, ut vicini facti simus, ut Reverendissimam Vestram Paternitatem non aliter quam bonus vicinus, amicus et frater bonum vicinum, amicum et fratrem agnoscam.

Praeterea transmitto Reverendissimae Vestrae Paternitati Apologiam nostram, qua innovationem Borussiae et Ordinis depositionem propugnamus, enixe rogantes, ut Reverendissima Vestra Paternitas diligenter dispiciat, si uspiam in ea sit peccatum et scriptum, quod vel Sacram Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum et avunculum charissimum, offendere vel nobis fraudi esse queat. Neque enim magno sine consilio libenter talia molimur. In votis siquidem habemus eam calcographis imprimendam et in publicum divulgandam curare. Bene valeat Reverendissima Vestra Paternitas. Datae e Regio Monte, ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ioanni Choinsky, Electo Premisliensi, XXV Augusti.

N. 634.

*E Regio Monte, 25.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Plocensi [Andreae Krzycki]*
*Apologiam transmittit et rogat, ut eam dispiciat,* « an alicubi in ea peccatum sit ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 279.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 118-119.*

N. 635.

*E Regio Monte, 25.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Lucae a Górka, castellano Posnaniensi, Maioris Poloniae capitaneo generali,*
*de negotio suo se ad filium eius [Andream a Górka] scripsisse nuntiat et rogat, ut eum audiat et sibi in ea re morem gerat.*

*(Latine)*

*H B A, Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 128-129.*

N. 636.

*E Regio Monte, 25.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Andreae a Górka, castellanidi Posnaniensi,*
*paratum se esse nuntiat ei arcem Schönburg (vel Schönberg) certis conditionibus oppignerare; rogat, ut causam suam, in Conventu Regni tractandam, apud patrem suum [Lucam a Górka] promoveat.*

*Cfr. El. XXXV, N. 264.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 126-128.*

De emptione vel constitutione hypothecae vel pignoris arcis Schönberg pro 1200 aureis etc. Rogat promoveri caussam, sessionem in publico conventu continentem.

Magnifice ac Generose.

Accepimus Magnificentiae Vestrae literas, quibus vos excusatis, quod tam raro vestris literis nos invisitis, nimirum quod nihil lectu dignum hactenus habueritis, quod nobis scriberetis. Nos vero libenter admittimus hanc vestram excusationem, tametsi semper nobis gratae fuerint atque sint Magnificentiae Vestrae literae. Proinde admonemus, ut Magnificentia Vestra non desinat nos suis literis crebro invisere.

Quod ad emptionem vel constitutionem hypothecae sive pigneris in Ducatu nostro adtinet, gratum est nobis ultra modum sic esse Magnificentiae Vestrae animum affectum erga nos, ut queratis nostra praesentia frui, indicantes Magnificentiae Vestrae habere nos arcem lapideam satis munitam cum suis pertinentiis et districtu, cum locuplete captura piscium et venatione ferarum, nomine Shönberg, cui Germani a bello monte sive bella arce nomen indidere. Quam nobilis et generosus Baro Gulielmus ab Eilenburg noluit[a] a nobis sive hypothecae sive pigneri accipere atque duodecim milia aureorum eo nomine mutuo dare. Eam arcem si in hunc modum Magnificentia Vestra a nobis petit, facile atque sine negocio magno fieri potest, ut accipiat. Id quod Magnificentiae Vestrae his literis significare voluimus, ut intelligat benevolentiam et propensam voluntatem nostram erga Magnificum ac Generosum Dominum parentem vestrum atque Magnificentiam Vestram.

Praeterea rogamus Magnificentiam Vestram, ut apud Magnificum Dominum parentem promoveat caussam nostram, continentem locum et sessionem in publico regio conventu. Qua ratione quoque Magnificentiae Vestrae transmittimus orationem eo nomine novissime Petracoviae habitam, rogantes, ut eam Magnificentia Vestra cum caussae commendatione parenti tradat. Neque enim diffidimus futurum, ut possit eam pro sua autoritate et industria primum apud Sacram Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum et avunculum charissimum atque pientissimum, deinde apud Dominos proceres Regni, fratres et amicos nostros, promovere. Id quod eius Magnificentiam scimus pro officio acturam diligenter, enixe rogantes, ut Magnificentia quoque Vestra pro sua persona idem sedulo praestet. Postremo gratias agimus Magnificentiae Vestrae, quod se offert nostra negocia apud Regiam Maiestatem expedituram. Nos non veremur aliquid negociorum Magnificentiae Vestrae iniungere, sed nihil est, quod in praesentiarum nos urgeat. Excusamus autem Magnificentiae Vestrae ministrum, quod tam sero redit. Neque enim domi fuimus, cum nos quaesivit, et posteaquam domum reversi fuimus, curavimus orationem Petracoviae habitam una cum responso regio transcribi. Quo factum est, quominus suo tempore a nobis abierit... Datae e Regio Monte, XXV Augusti anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Andreae de Gorcka, XXV Augusti.

a) *error pro*: voluit?

*N. 637.*

*E Regio Monte, 26.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario,*
*nihil scriptu dignum se habere dicit, solum rogat, ut se regi et reginae commendet.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 124.*

*N. 638.*

*E Regio Monte, 26.VIII.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tęczyński, succamerario Cracoviensi,*
*de nuntio recuperatae valetudinis eius gaudet, sed eius rei ab ipso certior fieri cupit,* « ut et cum flentibus flere et cum gaudentibus gaudere queamus ».

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 124-125.*

*N. 639.*

*Carthein (Cortyn), 6.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, de victoria per generum suum [Ioannem Tarnowski] ad Obertyn de Moldavis reportata gaudet et gratulatur; necessarium esse affirmat, ut imperator regi Poloniae* «peculiari quodam diplomate caveat», *ne recens feudi collatio, Valtero a Cronberg Augustae facta, Regno Poloniae et Ducatui suo fraudi sit.*

*Cfr. El. XXXV, N. 270.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 129-132.*

Ut Caesar[1] caveat Regiae Maiestati peculiari diplomate, ne etc.
Congratulatur profligatum esse exercitum Moldavi etc.
Illustris etc.

Accepimus quarta die Septembris Illustritatis Vestrae literas XXIX Augusti scriptas, in quibus pro innata et fraterna erga nos benevolentia dignatur exponere gloriosam victoriam Regiae Maiestatis Regnique Poloniae, a Deo per Magnificum ac Generosum Illustritatis Vestrae generum[2] et filium[a] datam. Propter quae nova, nobis maiorem in modum grata et iucunda, communicata Illustritati Vestrae magnas agimus gratias. Primum autem omnium Deo Optimo Maximo pro sua divina clementia quam possumus maximas agimus gratias, qui hanc victoriam satis equidem commodam, gloriosam et magnificam inclyto Regno Poloniae donavit ac hostes partim in manus victoris dedit, partim prostravit ac fugavit. Recte equidem et iusto iudicio Dei foedifragi et iuramenti violatores ulti sunt. Quo nomine Regiae Maiestati Regnoque Poloniae vehementer gratulamur, quod tanto rerum successu cum hostibus conflixerint totque milia hostium fuserint ac interfecerint. Gratulamur et Illustritatis Vestrae genero, quo exercituum summo Regni Poloniae ductore et capitaneo tam feliciter pugnatum est. Cuius Magnificentiam nobis commendare ac laudibus extollere Illustritas Vestra opus fore non arbitratur. Nos, ut ingenue fateamur, iam dudum Illustritatis Vestrae generum tam habemus commendatum, ut vix possit nobis reddi commendatior, propter plurima insignia et egregia facta, necnon propter virtutes suas non solum bellicas, verum etiam domesticas, quae eius Magnificentiam attollunt, laudant et magnifaciunt. Proinde si qua in re eius Magnificentiae obsequi ac prodesse uti fratri nostro poterimus, dabimus pro virili nostra operam, ut praestemus nos aequos ac lubentes. Quod ad negocium adtinet, de quo Illustritati Vestrae propria manu respondere debemus, nolumus Illustritatem Vestram latere nos respondisse nihilque dubitare, quin Illustritas Vestra eas literas iam acceperit.

Literas Reverendissimi Domini Episcopi Culmensis[3] perlegimus, quas Illustritati Vestrae una cum iis, quas Magnificus Dominus exercituum capitaneus ad Illustritatem [Vestram] scripsit, remittimus.

Porro videtur nobis non inconsultum fore, ut Caesarea Maiestas Regiae Maiestati Poloniae peculiari quodam diplomate caveat ac peculiaribus literis sententiam Reverendissimo Domino Episcopo Culmensi coram expositam confirmet, ne feudi illa collatio, nuper Augustae

Walthero a Cronberg facta, eius Regiae Maiestati Regnoque Poloniae ac nobis et provintiae Borussiae sit fraudi.

Quod vero Reverendissimus Dominus Episcopus Culmensis domum se conferre expetit, putamus eius Paternitatem non iniqua petere. Idcirco et quia, ut pro se intercedere dignaremur, iam antea a nobis quoque petiit, Illustritatem Vestram enixe ac fraterne rogamus, ut non dedignetur apud Regiam Maiestatem intercedere ac operam dare, quo eius Paternitas tandem voti compos fiat atque domum revertatur.

Postremo Illustritatem Vestram vehementer etiam atque etiam rogamus, ut nos Regiis Reginalibusque[b] Maiestatibus sedulo commendet. Nos Illustritati Vestrae vicissim inservire atque prodesse non desinemus... Datae ex Corthein, VI Septembris anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Christophoro Schidlovietz, VI Septembris.

a) *sequitur expunctum:* partam
b) *in ms.* Reginabus
1) *Carolus V*
2) *Ioannes Tarnowski.*
3) *Ioannes Dantiscus.*

*N. 640.*

*Carthein (Cortyn), 6.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Alexandro Chodkiewicz (in ms.* Chodzykowytz)
*filium eius, aulicum suum, iuxta eius desiderium ad tempus ad eum mittit.*

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 132-133.*

*N. 641.*

*Carthein (Cortyn), 7.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de victoria a Ioanne Tarnowski de Moldavis* [*ad Obertyn*] *reportata gratulatur.*

*Cfr. El. XXX, N. 79.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 133-136.*

De fuso fugatoque Moldavi exercitu.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

In primis offero Regiae Vestrae Maiestati omne obsequium ex syncero animi affectu.

Non levi gaudio accepi ab Regia Vestra Maiestate, quomodo eiusdem Maiestatis Vestrae exercitus industria Magnifici et optimi ducis Domini Ioannis Comitis de Tharnaw, Palatini Russiae generalis, fratris et amici mei charissimi, provintiam Pukutzie duobus memorabilibus conflictibus recuperavit[a]. In quibus perfidi hostes nostri perfidiae iustas dederunt poenas, vexillo potissimum ammisso et perfidiae authore duobus vulneribus graviter sauciato. Gratias itaque ago divinae clementiae quam possum maximas, quod dignata est ulcisci perfidam iniuriam hostium nostrorum. Laudo et colo coelestem Maiestatem, quod

fidelibus suis ipsam adorantibus manifeste auxilio adfuerit suosque non reliquerit, nihilque ambigo, quin insignis haec victoria divino nutu facta certum sit omen validissimi stabilimenti Regni Maiestatis Vestrae, postquam quam sequuntur[b] multae aliae contra violentos et perfidos quoscunque hostes Regiae Vestrae Maiestatis Regnum invadentes. Estque citra dubium verissimum indicium incrementi Regni filio suo, Domino meo clementissimo Augusto Sigismundo, qui hoc auspicio semper victurus est truces hostes propagaturusque Regnum, quotiens sanguinarii hostes obesse putabunt. Gratias itaque ago Regiae Vestrae Maiestati maximas, quod mihi communicare dignata est tam prospera, tam alacria, quae sunt in solatium omnium subditorum Regiae Vestrae Maiestatis et praecipue mihi, unde singularem regiam vestram in me clementiam iudico. Digna certe est haec victoria, ut immortalitate[c] donetur per clarissimos viros, ne unquam obliviscatur divinae clementiae nobis ea ostensae. Dignus est Clarissimus et Magnificus Dominus Ioannes Comes de Tharnaw, frater et amicus meus charissimus, cuius ope et industria omnia acta sunt, ut perpetuo celebretur. Cuius exemplo multi optimi posthac virtute studeant, imitari conantes tam praeclarum virum. Honor enim potissimum esse solet calcar ad excitandos animos ad virtutem. Quocirca Regiam Vestram Maiestatem suppliciter peto, velit praefato fratri et amico meo charissimo, quem ob splendidas virtutes suas non possum non colere, omnem exhibere regiam clementiam, quemadmodum et meritus est, quo suscitentur et alii ad amplexandam virtutem conenturque imitari tam praeclara facta. Cum vero iam simus in deserto nostro venantes, misimus regias vestras literas et alias, quas de praememorata[d] victoria accepimus, consiliariis nostris[e] Montem Regium, ut una nobiscum laudantes Christum, maximum Deum, congratulentur Regiae Vestrae Maiestati letitiaque repleant terras nostras... Datae VII Septembris ex Carthein, anno etc. 31.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, VII Septembris.

a) *correctum ex*: recuperaverit
b) *in ms.* sequutur
c) *sequitur expunctum*: dignetur
d) *in ms.* praemorata
e) *verbum correctum.*

*N. 642.*

*Carthein (Cortyn), 10.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de victoria a Ioanne Tarnowski de Moldavis [ad Obertyn] reportata gaudet et gratulatur; rogat, ut rex proximis Comitiis Imperii Spirae futuris confirmationem responsi, Ioanni Dantisco dati, ab imperatore impetret.*

*Cfr. El. XXXV, N. 270.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 138-140.*

De victoria Comitis a Tharnaw etc.
Ut Caesar[1] confirmet literis sententiam Episcopo Culmensi[2] expositam.
Tametsi Illustritatis Vestrae literis respondimus per nunctium,

quem eadem miserat, tamen cum praesens Regiae Maiestatis nunctius citius venturus sit, facere non potuimus, quin et per hunc scriberemus. Ineffabili gaudio nos affecerunt tam praeclara gesta Magnifici Domini Comitis de Tharnow, quem ob suas praeclarissimas virtutes multum veneramur et colimus, videmusque magnum solatium esse nobilissimi Regni Poloniae et sua industria validum munimentum adversus omnes hostium insidias. Congratulamur itaque Regiae Maiestati et Illustri Vestrae Magnificentiae, omnibus Regni proceribus totoque[z] populo Poloniae, quod accepit a Domino virum tam solertem, tam sapientem, tam fortem et strennuum cum summa industria. Qui vel Alexandro Magno vel Scipioni[a] Africano comparandus venire possit. Et singulariter Illustritati Vestrae, quod adepta est talem generum, ex quo habitura est[b] tam claros nepotes, in gloriam etiam familiae suae. Gratias itaque iterum agimus Illustritati Vestrae, quod tam alacria nobis communicaverit illisque nos exhilaraverit. Misimus eiusdem Illustritatis Vestrae literas, una cum aliis hoc significantibus, Montem Regium consiliariis nostris, ut plauderent Dominum publicarentque universo nostro populo.

Sed quando intelligimus ex literis Reverendissimi Domini Episcopi Culmensis Caesaream Maiestatem talem dedisse responsionem, qua et excusaretur, si quid aliud vel hostilius contra Regiam Maiestatem et nos strueretur, obnixe petimus Illustritatem Vestram, fraterno animo hoc diligenter secum perpendere velit examinareque, quid inde incommodi possit sequi, et apud Regiam Maiestatem diligenter curare, ut Sua Maiestas iam his Imperialibus Comitiis cogendis Spirae studeat secura et certa fieri. Ne quod hactenus ea re quocunque praetextu vel modo actum, sit damno vel praeiuditio[c] Suae praefatae Maiestati et nobis. Quod omnibus fraternis obsequiis et quibuscunque poterimus, recompensare nunquam negligemus.

Quod ad chirographum respondere cupit, iam ante hoc fecimus Monte Regio. Et nihil dubitamus tales literas Illustritatem Vestram dudum accepisse. Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Christoff Schidlovietz, die qua supra.

a) *in ms.* Scipione
b) *sequitur expunctum:* talem generum
c) *sequitur expunctum:* honess.

z) *sic in ms.*
1) *Carolus V.*
2) *Ioannes Dantiscus.*

*N. 643.*

*Carthein (Cortyn), 10.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Szydłowiecki, castellano Sandomiriensi, R.P. thesaurario, pro significato sibi nuntio victoriae ab Ioanne Tarnowski* [*ad Obertyn*] *de Moldavis reportatae gratias agit et gratulatur.*

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 271.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 137.*

*N. 644.*

*Carthein (Cortyn), 10.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Tarnowski palatino Russiae, exercituum R.P. capitaneo generali, de victoria in Pokucie* [*ad Obertyn*] *de Moldavis reportata congratulatur.*

*Cfr. El. XXXV, N. 287.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 140-142.*

Congratulatur Comiti de parta victoria etc.

Accepimus a Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo, literas, quibus singulari clementia factum putamus, quod nobis significaverit, quo binis conflictationibus exercitus Maiestatis Suae industria et felicitate eximia Magnificentiae Vestrae perfidos[a] hostes apud Pokutziam adeo profligaverit, ut erepto eis[b] precipuo signo exercitus illius dominus duobus gravibus vulneribus[c] sautius vix evaserit. Eadem accepimus ab Illustri et Magnificis et Generosis Dominis Christophero et Nicolao a Schidlovietz, altero Domino Cracoviensi, altero vero regio Thesaurario, affinibus Magnificentiae Vestrae, fratribus meis charissimis. Quae res ingentem nobis facit laetitiam et maiorem quam credi possit. Cum quod haec acta sunt per Magnificentiam Vestram, cui multis caussis praecipue praeclara illa gesta favemus, partim quod semper singulariter eam coluimus, partim quod nobis est facta devinctior propter Illustrem et Magnificum fratrem nostrum charissimum, Cristofferum a Schidlovietz, tum quod cognovimus eam maxime saluti esse toto Regno Poloniae. Quo his temporibus nihil magis salutiferum contingere potuerit. Quae res merito omnibus Regni subditis solatium pariat, veluti et nobis non mediocre peperit. Dum vero quod certum omen putem incrementi nobilissimi Regni Poloniae, quo posthac semper hostes suos sit subacturum, imperium propagaturum.

Eius gratia cum essemus in heremo nostro venantes, literas illas, tam praeclara gesta Magnificentiae Vestrae complectentes, statim misimus Montem Regium consiliariis nostris, ut una nobiscum gauderent congratularenturque Regiae Maiestati, Domino nostro clementissimo, atque Magnificentiae Vestrae, fratri nostro charissimo, laudarentque Dominum ob misericordiam suam magnam, cuius nutu aguntur omnia. Nos etiam summas agimus gratias Omnipotenti Deo, quod tam propiciis oculis respexit fideles suos dignatusque est Magnificentiae Vestrae dare animum tam solertem atque industrium sapientemque cum vera fortitudine. Quo tam egregie fuderit fugaveritque perfidos hostes sanguinariosque homines, Magnificentiae Vestrae fraterne gratulamur praeque laetitia pene exilimus. Cum ipsi singularissime hoc honoris favemus cupimusque posthac astare lateri periculumque ipsi facere et, quando opus esset, quemadmodum saepe sic fieri solet, ipsam defendere obiicereque corpus nostrum pro corporé eius. Hoc serio scribimus et libentius re ipsa ostenderemus quam literis. Macte igitur virtutis esto Magnificentia Vestra pergatque sic ab clarissimo isto facto ad nobiliora. Quod semper cupimus orabimusque Dominum Deum nostrum ut hoc perficiat secundetque, ut non solum posteris

suis, verum etiam et toto[z] Regno decori et gloriae futura sit perpetuo... Datum ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Ioanni Comiti a Tharnaw, ut supra.

a) *in ms.* perfidas
b) *correctum ex:* eius
c) *sequitur expunctum:* vulner
z) *sic in ms.*

*N. 645.*

*Rosacken, 12.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*de victoria a Polonis [ad Obertyn] reportata gaudet; causam fratris sui, marchionis Gulielmi, coadiutoris Rigensis, ei commendat et rogat, ut eam apud Christophorum Szydłowiecki ita promoveat, ut a rege Romano pontifici commendetur; equum dono mittit, et alia.*

*Cfr. El. XLVI, N. 58.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 85-86.*

An Nickell Nibschitz den 12 Septembris.

Wir haben dein schreiben an uns gethan, des wir uns gegen dir in allen gnaden thon bedancken, und daraus mit erfreutem gemut gantz gern verstanden den gnedigen sig, so Got der almechtig ko.mt. etc. vorliehen. Haben derwegen zu Konigspergk Got umb solhe vorleyhung zu loben, preissen, ehren und billiche dancksagung ze thun, dancken mit schiessen und anderer freuden frolockung zu haben, verordnen lassen. Dweil uns dann ko.mt. zu Polann etc. durch irer ko.mt. an uns gesandte botschaft gleichmessige zeitung anzeigen lassen, und wir aber dieselbige bothschaft nicht dermassen, wie uns woll hette gepuren wollen (in ansehung, das uns dieselb an unbequeme stell und eben uff der jagt angetroffen) haben abfertigen konnen, so haben wir doch nach gelegenheit des orts und unsers vermogens solhe mit und uber die zweinzig reinisch gulden vorehret, begnadigt und widderumb abgefertigt.

Und nachdem unser freuntlicher, lieber bruder, her Wilhelm, coadiutor des ertzstifts Riga, marggraff zu Brandenburgk etc., gegenwertige zaiger, seiner lieb cemmerer, zu ko.mt. hochgedacht von seiner ko.mt. vorschriften an bobst. hey[1] zu erlangen, vorfertigt, wie du weitern bericht von demselben vornemen wirdest, demnach ist an dich unser gutlichs begeren, du wollest bei her Cristoff Schidlowitz dich bearbeiten, auf das vleissige und erspriessliche furdernus und vorschrift an bobst. heyl., desgleichen an die Fugker ausbracht, auch den Fugkern fur dein person selbsst schreiben, damit unsers lieben bruders sachen dest schleuniger und furderlicher mogen iren vortgang erreichen.

Es wurdt dir auch unser lieber bruder obgedacht mit einem pferdt, welhs hubsch und gut, auch algereith auf dem wege sein soll, beschenckhen. Das wollen wir dir, wil Got, wenn es bei uns ankompt, daneben noch eins zubringen lassen mit gnedigem synnen, du wollest in ob-

berurt sachen keinen vleis an dir erwinden lassen und unss unsers nichtschreibens eigner handt entschuldigt wissen, dan solhs obligender geschefte und der jagt halben dissmals vorplieben; auch unser gegen ko.mt., der alt[2] und jungen konigin[3] und jungen konig im besten gedencken und uns irer aller mt. bevolhen haben. An dem allen thustu unser gefellige meinung, in gnaden umb dich widderumb zu beschulden. Datum Rosacken ut supra.

*Schedula:*

Eodem die, ut supra, ist meister Hannsen Holfelder, koniglichem perlenhefter, geschrieben worden, das mein gnedigster herr aus seinem schreiben, wes s.f.g. ime vor die arbeit zu entrichten phlege, vorstanden. Nu het m.g.h. herr Jobst Ludwig geschrieben, ime solh geldt von s.f.g. wegen zu uberreichen mit begher, er wolte hern Jobst Ludwigen solhe arbeit woll verwart zustellen. Desgleichen ist hern Jobst Ludwigen mit eingelegter verzeichnus der arbeit geschrieben, mit begher, ehr wolte nach inhalt derselben vorzeichnus obgemeltem meister Hannsenn Holvelder das geltd von m.g.h. wegen entrichten, die arbeit von ime dem perlenhefter emphaen und dieselbige m.g.h. mit gewisser bothschaft und wol verwardt zuschigken.

Und nachdem her Cristoff Schidlowitz einen jungen gesellen bothschaftsweisse bei s.f.g. alhie gehabt, welchen s.f.g. uff dissmal (in ansehung, das ehr meinen gnedigsten hern an unbequeme stelle und eben uf der jagt angetroffen) dermassen nicht, wie es sich woll hette gepuren wollen, abfertigen konnen, so wer s.f.g. gutlichs begeren, ehr wolte demselbigen ein schamlot zu einem cleidt geben und von s.f.g. wegen schengken. Das wollen s.f.g. widderumb neben geburlicher erstattung und vorgleichung gegen in in gnaden erkennen.

Auch ist meister Hannsenn Holvelders weib in meiner gnedigsten frawen[4] namen geschrieben, das ir f.g. ir schreiben emphangen und gernn gehort, das ir der brief von her Jobst Ludwig zugestellt worden. Dweil sich aber ir f.g. aus irem schreiben garnichs vorrichten und sonderlich was die IIII holtzle bedeuten solten, keinen verstandt daraus vornemen konnten, wer irer f.g. gnedigs begeren, sie wolten iren f.g. eigentlichen bericht und deutlich anzeigen thun, sich dest besser darnach zu richten hetten etc.

1) *Clemens VII.*
2) *Bona.*
3) *Hedvigis, filia Sigismundi I.*
4) *Dorothea.*

## *N. 646.*

*Ioannisburgi, 25.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de infirmitate regis contristatur et condolet; rogat, ut Apologiam suam perlegere velit; diem regundorum finium designari petit.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 143-145.*

Accepi XXV Septembris Regiae Vestrae Maiestatis qua decet reverentia literas, quibus perlectis non potui non magno maerore affici, quod Regia Vestra Maiestas languore pedis quodammodo decumbat ac minus belle valeat. Tester autem Deum hoc mihi non minus aegre esse,

nec levius animum gravare meum, quam si mihi ipsi accidisset. Atque utinam possem istud, quidquid est doloris ac mali, in me transferre, non equidem gravarer, dummodo Regiam Vestram Maiestatem, tantis et tam magnis negociis intricatam, sanam ac incolumem haberem, et ut Deus Optimus Maximus id malum pro paterna sua et divina clementia in melius vertere dignetur, sedulo precor.

Quod Regia Vestra Maiestas hactenus non potuit Apologiae meae vacare, non iniquo animo fero, suppliciter autem rogo, ut cum Regia Vestra Maiestas reconvaluerit, ut tum pro regia sua bonitate ac clementia id agere non dedignetur.

Porro est quidem olim, sicuti Regia Vestra Maiestas commemorat, dies limitibus visendis constituta, ad quem et ipse in persona propria in locum deputatum iter institui, sed sum ab eo revocatus, denunctiatum[a] enim mihi fuit neminem in loco deputato esse, neque potuisse tum aliquid effici, quia limites circumiri non potuerunt. Scripsi praeterea aestate praeterita Magnifico ac Generoso amico ac vicino meo charissimo Alberto Gastaldo, Palatino Vilnensi et Magni Ducatus Lithuaniae Summo Cancellario, ut una cum Magni Ducatus Lithuaniae proceribus diem decernat ad futuram hyemem, quemadmodum mihi Regia Vestra Maiestas iniunxerat. Rescripsit mihi tum eius Magnificentia, quod non haberet a Regia Vestra Maiestate mandatum ad hoc negocium exequendum. Proinde quam humillime a Regia Vestra Maiestate peto, id quod in proximis literis mihi est pollicita, ut ad futuram hyemem Magni Ducatus Lithuaniae proceribus ac mihi finium regundorum diem designare ac locum deputare dignetur, quo et consiliarios meos illinc mittere possim, quoque controversiae pendentes dirimi possint. Quod ipsum ego omnibus debitis officiis erga Regiam Vestram Maiestatem, quo possum studio quoque conatu, promereri neutiquam negligam... Datae ex Johanspurgk 25 Septembris anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Regi Poloniae, 25 Septembris.

a) *in ms.* decunctiatum

*N. 647.*

*Ioannisburgi, 25.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario, expetit, ut apud regem procuret, quo dies visendorum et regundorum finium hac hieme circa Epiphaniam statuatur.*

*Cfr. El. XXXV, N. 286.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 147-149.*

Rogat, ut velit sollicitare apud Sacram Regiam Maiestatem, quo dies limitum visendorum statuatur.

Accepimus XXV die Septembris Illustritatis Vestrae literas, quas ex parte tantum legimus, ad quas et Illustritati Vestrae in praesentiarum propter caussas, in literis propria manu scriptis indicatas, nolu-

mus respondere. Caeterum scimus Illustritatem Vestram non latere nobis a Sacra Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo, praeterita aestate scriptum esse, ut cum Magnifico ac Generoso amico ac vicino nobis charissimo, Domino Alberto Gastaldo, Palatino Vilnensi et Magni[a] Ducatus Lithuaniae Summo Cancellario, conveniremus atque diem de finibus inter Magnum Ducatum Lithuaniae et provintiam nostram regundis statueremus ac definiremus. Nos igitur eam ob rem eius Magnificentiae scripsimus rogantes, ut una cum proceribus dicti Magni Ducatus Lithuaniae ad proxime futuram hyemem diem nominaret, quo fines viserentur ac regerentur. Sed Magnificentia eius nobis rescripsit, quod non habeat ad hoc negocium peragendum a Sacra Regia Maiestate, Domino nostro clementissimo, speciale mandatum, atque sic differtur finium regundorum negocium in magnum damnum, tum Magni Ducatus Lithuaniae, tum nostrae provintiae, augentur enim indies controversiae, quae sunt dilatae ad diem finium visendorum.

Proinde Illustritatem Vestram fraterne rogamus, ut non dedignetur apud Sacram Regiam Maiestatem procurare ac sollicitare, praesertim cum praeterita aestas et praesens authumnus praesagiunt hyemem futuram gelu rigentem, quo tandem hac hyeme dies circa Epiphaniam Domini definiatur atque controversiae propter fines ortae tandem dirimi ac componi possint. Quod ipsum nos omni fraterno obsequio erga Illustritatem Vestram promereri vicissim studebimus.

Quod autem nobis inter reliqua Illustritas Vestra eiusdem generum Magnificum ac Generosum, fratrem nobis charissimum, Dominum Ioannem Comitem a Tharnow, tantopere laudat ac praedicat, non potest nobis non placere atque magnam laetitiam animo nostro adferre, favemus enim maiorem in modum eius Magnificentiae laudibus ac virtutum augmentis, precamurque, ut eiusmodi rerum successus indies magis ac magis augeantur. Cuius Magnificentiae si aliqua in re tum propter eius praeclaras virtutes, tum quod Illustritatis Vestrae gener est, inservire ac prodesse cum opum, tum corporis expositione poterimus, dabimus operam, ut nos lubentes praestemus... Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Christophoro Schidlovietz, die qua supra.

a) *in ms.* Magno

*N. 648.*

*Ioannisburgi, 25.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*episcopo Cracoviensi* [*Petro Tomicki*]
*iterum rogat, ut Apologiam suam perlegere et dispicere velit ac censeat,* « quid eidem addi adimi-ve possit ».

*(Latine)*

*Cfr. El. XXXV, N. 278.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, f. 145.*

N. 649.

*Ioannisburgi, 25.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Ioanni Chojeński, episcopo Premisliensi,*
*petit, ut de Apologia sibi ad inspiciendum missa sententiam suam ferat.*

*Cfr. El. XXXV, N. 280.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 146-147.*

De Apologia.

Agimus Reverendissimae Vestrae Paternitati magnas gratias, tum quod officia sua nobis offert ac defert, tum quod dignata est Apologiam nostram pro parte evolvere, amice rogantes, ut ceptum perficere dignetur nobisque sententiam atque iudicium suum aperire ac indicare. Porro quod Reverendissimae Vestrae Paternitati opus magis probaretur, si res compendiosius enarrata fuisset, videmur nobis, quod non potuisset pro rerum magnitudine ac gravitate brevius esse. Atque hanc potissimum ob caussam hoc opus Reverendissimae Vestrae Paternitati misimus, ut agat censorem dispiciatque, quid desit aut quid abundet, quidque addi adimive possit, quoque modo brevius citra caussae ipsius diminutionem possit fieri. Id quod iam denuo a Reverendissima Vetra Paternitate petimus atque totum opus arbitrio Reverendissimae Vestrae Paternitatis relinquimus, nihil dubitantes, quin se optimum censorem sit praebitura. Daturi vicissim operam, ut quidquid ad Reverendissimae Vestrae Paternitatis dignitatem augendam et amplificandam faciat, in eis praestabimus nos lubentes ac beneficiorum acceptorum memores... Datae ut supra.

*In initio epistolae in margine:* Episcopo Premisliensi, ut supra.

N. 650.

*Ioannisburgi, 26.IX.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Nicolao Nibschitz*
*rogat, ut episcopum Premisliensem hortetur ad Apologiam suam perlegendam et sententiam de ea proferendam; Fridericum Iskra salutat; regi et reginae se commendat.*

*Ostpr. Fol., vol. 42, ff. 88v-89.*

An Nickel von Nibschitz, 26 Septembris.

Wir haben dein schreiben an uns ausgangen seins inhalts allenthalben nach lenge vorstanden; thun uns derwegen deins gehabten vleis und langen schreibens in gnaden bedancken, und hetten dir gern darauf beantwort. So hat es doch eile halben dissmals nicht gescheen konnen, aber in kurtz, wil Got, wollen wir dich uff alles nodturftiglich beantworten.

Und nachdem unsern lieber freundt von Premislen[1] gerathen deucht, unser Apologia an etlichen orten zu verkurtzen, hierumb ist an dich unser gnedigs begeren, du wollest bei seiner lieb anhalten, dieselbige

Apologia weitter zu verlesen und uns warinne und womit solhe, daraus kein nachtheil zu befharen, zu verkurtzen sey, anzuzaigen etc.

Wir wollen auch deinem rath mit herrn Jobst Ludwigen[2], inhalts deins schreibens volgen, mit gnedigem begeren, du wollest Isskra[3] unsern gnedigen grus und gunstigen, desgleichen furnemblich unser gegen ko.mt. etc., auch der alten[4] und jungen[5] konigin und konig in allem besten gedencken und irer aller ko.mt. uns bevolhen sein lassen. Auch das wir ko.mt. kranckheit schenckels halben ein hertzlich mitleiden tragen, und, wann es moglich, wolten wir solhs von seiner mt. wegen selbsst gern dulden und leiden. Das wolten wir dir gnediger meinung dissmals nicht unangezaigt lassen. Datum Johannspurgk ut supra.

1) *Iannes Chojeński.*
2) *Decius.*
3) *Fridericus Iskra (vel Giskra).*
4) *Bona.*
5) *Hedvigis, filia Sigismundi I.*

*N. 651.*

*Carthein (Cortyn), 4.X.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Sigismundo I regi Poloniae*
*de quarundam civitatum regiarum in re monetaria inobedientia; de Dieta Marienburgi in negotiis monetariis indicta, propter pestem in aliud tempus differenda; de castellanatu Gedanensi Achatio Czema concedendo.*

*Cfr. El. XXX, N. 82.*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 149-152.*

Rogat, ut differatur Dieta Marienburgi indicta de re monetarea propter coeli gravitatem. Pro Achatio Zeme etc., ut delegetur ei officium castellanatus.

Accepi hesterna die Regiae Vestrae Maiestatis literas, quas perlegi atque quid a me exigat, intellexi. Primum quod Regia Vestra Maiestas miratur et egre fert in tot conventibus et dietis negocium monetareum hactenus non potuisse determinari atque ad finem perduci, nescio equidem cui hoc incommodum expensum sit ferendum. Ego profecto non minus miror, neque minus aegre fero. Nam cum me una cum subditis meis regio mandato semper obedientem exhibuerim nullisque impensis pepercerim, mittendo consiliarios meos ad singulas dietas, atque econtra quaedam civitates Regiae Vestrae Maiestati subditae non obediverint, non possum non vehementer mirari Regiam Vestram Maiestatem posse eiusmodi subditorum inobedientiam tam diu tollerare. In cuius tamen manu est inobedientes reddere obedientes, cum nihil aliud sua pertinatia venentur ac querant, quam proprium commodum atque publicae utilitatis internetionem.

Deinde quod Regia Vestra Maiestas hortatur, ut consiliarios meos Marienburgium mittam, ut illic cum regiis consiliariis et aliis ad hanc Dietam vocatis finem tandem negocio monetario imponant, praesto sum[a] regio mandato omnem debitam exhibere obedientiam. Verum nolo Regiam Vestram Maiestatem latere totam ferme Prussiam hoc

tempore horrenda et mortifera peste infectam. Regit namque eadem Konigspergii, Braunspergii, Frauenpurgii, Elbinge et plerisque aliis in locis, ita ut timendum eam et brevi Marienburgium perventuram. Id quod et Regia Vestra Maiestas ex literis Reverendissimi Domini Episcopi Varmiensis[1], amici et vicini mei charissimi, intelliget. Proinde Regiam Vestram Maiestatem suppliciter rogo, ut eadem aeris infecti periculum considerare dignetur atque Dietam usque ad festum Sancti Nicolai aut etiam in tempus longius differre, ut si Deus Omnipotens pro sua divina clementia interim aerem salubriorem nobis daturus esset. Alioqui enim timendum, ne nihil efficiatur, nam praesumendum multos ex proceribus propter pestem, si grassari pergeret, illuc non venturos. Ad haec iam domi non sum, fieri igitur non potest, ut convocem consiliarios meos et deliberem, quid hac in re faciendum sit.

Postremo quod ad novam marcam adtinet, non video aliam marcam, quam quae in Regiae Vestrae Maiestatis mandato posita atque hucusque a subditis meis usa et servata est, posse fieri ac constitui sine extrema[b] publicae utilitatis perditione. Quam, necnon et obedientiam meam ac illorum contumatiam atque perversitatem ut Regia Vestra Maiestas considerare dignetur rogo atque non committere, ut alia marca propter paucos mercatores et nonnullas civitates constituatur.

Porro, Serenissime Rex, certior factus sum Magnificum ac Generosum fautorem meum dilectum, Dominum Ioannem Balinski, Castellanum Gedanensem, bonae recordationis, vita functum esse debitumque naturae persolvisse. Cum itaque castellanatus Gedanensis hoc tempore vacet, indicabo Regiae Vestrae Maiestati pro debito meo officio virum nempe nobilem ac generosum, singulariter mihi dilectum Achatium Zemen etc., qui et Regiae Vestrae Maiestati fidelis servitor et mihi officiosus semper extitit et ad hanc provintiam subeundam, ut mihi videtur, aptissimus. Proinde etiam atque etiam rogo, ut Regia Vestra Maiestas hoc castellanatus officium ei viro committere dignetur. Quod ego necnon et ille omnibus debitis voluntariisque officiis erga Regiam Vestram Maiestatem studebimus promereri... Ex Carthein, 4 Octobris anno etc. XXXI.

*In initio epistolae in margine:* Ad Regem Poloniae, 4 Octobris.

a) *sequitur expunctum*: negocio
b) *in ms.* extrama
1) *Mauritius Ferber.*

*N. 652.*

*Carthein (Cortyn), 4.X.1531.*

*Albertus dux in Prussia*
*Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi, R.P. cancellario,*
*de Dieta Marienburgensi ob grassantem pestem in aliud tempus differenda; de nova marca non instituenda; de castellanatu Gedanensi Achatio Czema committendo.*

*(Sub textu:* Pari modo, mutatis mutandis, scriptum, atque eodem tempore Episcopo Cracoviensi).

*(Latine)*

*Ostpr. Fol., vol. 49, ff. 152-154.*

*N. 653.*

*Carthein (Cortyn), 4.X.1531.*

